Duke University Medical Center Library
Trent Collection

29

Digitized by the Internet Archive
in 2015

https://archive.org/details/observationummed01cobe

Prodeſſe et Prodeſſe

N. 1.

TOBIÆ COBERI

MED. DOCT. PHYSICI CASTRENSIS


OBSERVATIONUM MEDICARUM CASTRENSIUM HUNGARICARUM

DECADES TRES.

In uſum publicum hoc tempore recuſæ

Cum Indice & Præfatione

HENRICI MEIBOMII.



Sumptibus FRIDERICI LüDERWALDI Bibliop: Helmſtad. & Gardelegenſis ANNO M DC LXXXV.

Geber

LECTORI BENEVOLO
S. D.

HENRICUS MEIBOMIUS

OFfero tibi Libellum Obſervationum Medicarum, in Hungaria, à peritiſſimo Medico per integrum ſeptennium in ipſis caſtris factarum, qvas, non exſtantibus amplius exemplaribus, publici boni cauſa, recudi feci, hoc potiſſimum tempore, qvo ad graviſſimum (utinam & à noſtra parte feliciſſimum) in Hungaria gerendum bellum maximi fiunt apparatus, & non tantùm alii Germaniæ Principes, ſed Sereniſſimi qvoq; Brunſvicenſium & Lynæburgenſium Duces, Domini noſtri clementisſimi, integrum, plurium millium exercitum, ad Danubium mittunt. Uti igitur omnes boni & Chriſtiani linguis animisq; ſacræ huic, contra immanisſimos Turcas, pro tutandis chriſtiani orbis finibus, ſuſceptæ expeditioni favere, & nos inprimis noſtrorum Ducum copiis optima quæq; & felicisſimos progreſſus à Deo apprecari debemus: ſic non minus par eſt, ut qvilibet ad eas conſervandas conferat,

 qvic-

qvicqvid, *ſive animis ſive arte valet.* Videtur vero hîc Medicorum opera aliqvid qvoq; conferre poſſe; eſtq́; de egregiis Medicis & Chirurgis jam tum exercitui Ducum noſtrorum prudentia proviſum. Non enim tantùm militi cum hoſte aſpero & truculento, ſed cum inſolito qvoq; aere, & inſveto potu ciboq;, in peregrino ſolo pugnandum fuerit, majore forte ab his, qvàm ab illo metuendo periculo. Eſt qvidem id omnium talium expeditionum commune fatum, ubi præſertim ex frigidioribus in calidiores regiones fit tranſitus, docueruntq́; id manifeſtò omnes Expeditiones Sacræ in Palæſtinam olim tanto numero & ardore ſuſceptæ; hincq; jam olim apud Romanos noverat, uſu belli præclarus Imperator, Marius (uti *Polyænus l. VIII. Stratag.* annotavit) *Cimbros ex frigidis regionibus profectos, glaciem & nives ferre poſſe, calorem ac ſolem non item: æſtu confectos plurimum ſudorem cum ſpiritu emittere.* In Hungaria tamen non injuria dixeris, longe plura eſſe, qvæ Milites noſtros afficiant, variosq; in morbos præcipitent, præter æſtum, qvi non ubiq; idem.

Ex qvo enim ſeculo XIV Turcæ in Europa pedem poſuerunt, & Amurathes, totius Thraciæ Dominus, ſedem imperii Adrianopolin delegit, ſeqvente infelicisſimo ad Nicopolin Chriſtianorum prælio, Hungariam omnẽ ſibi ſubjicere tentarunt, &, verſâ licet

non-

nonnihil, ſub Matthia Corvino, maximo Rege, fortuna, mox tamen ſub infeliciſſimo Ludovico II. poſt maximam ad oppidum Mohaz cladem ad Barbaros illos redeunte, magnos progreſſus fecerunt, nec, qui deinde Ungariæ Regno potiti, Archiduces Auſtriæ reſiſtere tanto hoſti, toto corpore regni in terram illam irruenti, ſuis viribus valuerunt, & non tantum finitimorum Principum auxilia petierunt, ſed præterea, cum Imperiali Dignitate ſimul gauderent Principes Statusq́; Germaniæ, in conſortium tam neceſſarii, Chriſtianis pariter & Germanis, pro ararum & focorum tutela, belli vocarunt: Non pecuniaria tantum ſubſidia ab his, ſed lectæ quoq;, ſuis in terris, copiæ miſſæ ſunt, hincq́; factum eſt, ut non tantum Rheni & Viadri accolæ, ſed Trans- & Cis- Albiani, Tra- & Cis-Veſerates, & Balthici maris accolæ, in Hungariam magno numero tranſirent, docuitq; eventus, loca illa, & aërem, & aquam, multis nominibus infenſa fuiſſe militibus noſtris, pluresq́; eorum ſicca morte, quàm cæde & ſanguine periiſſe. Qvæ res diligens profectò examen, publici boni cauſa, meretur. Neq; tamen quis rem abſolverit, ſi dixerit, eſſe eam Vngarici cœli, ſoliq; naturam, ut multorum morborum ferax ſit, ceu pleriſq́; terris, à nativa inclementia & inſalubritate aëris & locorum, ſui ſunt Morbi, quos Endemios Medici, Vernaculos, & Regionales appellamus, incolis

quan-

quandoq; infeſtiſſimi: neque enim ipſi Vngari ita male habent, etiam, cum in caſtris morantur, ſed advenæ milites imprimis id patiuntur: quomodo in Maximiliani II. expeditione contra Turcam Anno 1566. cum Lues, Vngarica dein dicta, in caſtris ad Comorram primum cepiſſet, & in reliquas Cæſaris copias latè graſſaretur, *ex Hungarorum exercitu non plures, quam duos è ſtabulariis toto eo tempore fatis ceſſerunt, annotante Thoma Jordano de peſt. phænom.* c. 19. qui caſtrenſis Medicus fuit. Dependet igitur id à natura quidem regionis, ſed quæ in aſſuetos afficit potius, quàm incolas. Et fortaſſis etiam illi longè melius & diuturno uſu didicerunt cavere ea mala, quæ incautis advenis obveniunt. Neque vero Medicus aliquis, licet peritiſſimus, niſi exactam locorum illorum, & quæ eò pertinent, peritiam habeat, & uſus illum docuerit, quicquam ſolidi hîc conſuluerit, morbiq; illi quomodo curandi, vel præcavendi, ſufficienter determinaverit. Sunt autẽ inter Vngaros ipſos eruditi pauci, nec naturalis Regionis illius conſtitutio ita ſcriptis hactenꝰ eſt tradita, ut, quid ita inſalubrem illam advenis reddat, ſcire ſufficienter & aſſequi aliquis poſſit. Narrat quidẽ de Aquis ejus calidis, in quibus tamen & piſces & ranæ vivant, *Augerius Gislenius Busbequius Epiſt. 1. Legat. Turcicæ* quædam, plura vero *Georgius Wernherus*, Regius conſiliarius, & apud Saros præfectus, in elegan-

elegantiſſimo commentario *de admirandis Vngariæ aquis,* ubi & fontes reperiri ſcribit, quorum aquæ animalibus bibentibus lethales. *p.67.* & ſpecus, quæ mortifero halitu ſupervolantes aves, & alia ſuperpoſita animantia, exſtinguant. *p.* 68. &, quod piſces in Tibiſco in tanta ſint abundantia, ut putreſcentes halitu vicina loca inficiant: multum tamen abeſt, ut hinc accuratiorem notitiam habere queamus, quæ uſui Medico ſufficiat. De Aëre enim nihil quidem Hiſtorici notant: de aquis rariora: ſoli fæcunditatem ſummam, in pleriſque locis, omnes extollunt, quid tamen incommodi habeat, narrare negligunt. Poſtquam igitur in *Tobiæ Coberi,* viri doctiſſ. & Medici preſtantiſſ. Obſervationes has, quas nunc recudi feci, incidi, nō ſine jucunditate multa ab eo curioſè annotata legi, quæ ad Aerem, ad Aquas, ad Morbos, illorumq; quà curationem, quà præſervationem ab iis, pertinent, nihilq; magis optavi, quam ut reliquæ quoq; Decades (nam *obſ. 1. dec. 2.* allegat *nonam,* cum tamen tres tantum hactenus, quod ſciam, impreſſæ ſint) publicam lucem aſpicerent, inſigni cum fructu publico. Habemus hodieq; ex vetuſtiſſimo ævo auro contra carum libellum *Hippocratis de Aere, Aquis & Locis,* quo viam ad illorum cognitionem nobis parat, quantæq; utilitatis ſit, mutationes inde corporibus noſtris accidentes rectè cognoſcere, ut præcavere & tollere queamus, oſtendit, à tot proinde eruditiſſimis viris luculento commenta-

rio

rio illuſtratum. Cujus exemplo *Coberus* noſter, in Vngaricis caſtris medicinam facturus, non, Empiricorum more, paucis quibusdam experimentis & arcanis remediis jactabundus proceſſit, ſed, quomodo exercitui, præter ordinarios caſtrenſes morbos, multi regionis ipſius vitio obvenirent, magno judicio obſervavit. Præclare enim cum alibi, tum *dec. 2. obſ. 10.* de Aere Pannonico differit, & quomodo duobus ſemper cum extremis ille colluctetur; extrema craſſitie, nocte & nebulis inſpiſſatus; extrema vero ſubtilitate, iisdem penitus diſcuſſis, oſtendit, idq́; in Scholiis pluribus explicat. Alibi etiam, qvomodo ex Danubii nebulis, & inundationibus aër vicinus inficiatur, exponit. De Aqvis vero Hungaricis multa præclara habet, non tantū in genere, ſed in ſpecie quoque, de Danubianis, Papenſib9, Theodoſienſibus, Hadwanenſib9, ſummè noxiis, ſtagnantib9 & limoſis; Italoſq;, puriſſimis aſſvetos, longe majori cum damno, quam Germanos, eas bibiſſe refert *dec. 2. obſ. 7.* Non minus quoq; de Carnibus, iisq́; crudis, de Vino, de fructibus, de peponibus valde noxiis, de cydoniis, & caſtaneis, deq́; melle Pannonico, juxta Danubii dumeta, differit. Deinde vero morbos, qui hinc oriuntur, Anginas, Catarrhos, Febres malignas, Colicos & Iliacos dolores, Dyſenterias, Paralyſes & Contracturas recenſet, exemplisq́; appoſitis illuſtrans, non tantum, quomodo curari

rari debeant, docet;ſed qvomodo curati ſint, declarat. Eſt ſanè ipſe ille ita per exempla docēdi mod⁹ ad uſū aptiſſimus, & noſtri ſeculi palato maxime accommodat⁹, præſertim, ſi non unica tantū recitetur hiſtoriola, ſed ex multis ſimilibus una, quomodo *Coberus*, ſe paucis illis exemplis, quibus decadem unam implet, ultra decem millia ejuſmodi morbis correptorū comprehendere ſcribit, unde ſcholiis egregiis obſervtionem ipſam illuſtrat. Neque hactenus mihi ullus viſus eſt, quamvis de Morbis Caſtrenſibus multi, & de morbo Hungarico plures ſcripſerint, qui ad eum modum exemplis ipſis ante oculos poſuerit, quid in caſtris in Hungaria militibus obveniat, qui morbi, quibusvis de cauſis oriantur. Modum vero ſuum curandi, additis medicamentis, candide exponit, nec reticet errores Medicaſtrorum, Pharmacopæorum, Chirurgorum, Balneatorum, qui ne in caſtris quidem ceſſant experimenta per mortes hominum agere, &, quam non didicerunt, artem, in perniciem aliorum exercere. Multa etiam alia obiter inſperſit, ex quibus prudens lector facile conjicere poteſt, ipſorum Ducum culpa, de ſanitate militum conſervanda non ſatis ſollicitorum, infelicem tum fuiſſe Expeditionem illam, pluribus morbo, qvam ferro, pereuntibus: id quod fortaſſis de aliis expeditionibus non minus verum. Feci igitur iterato imprimi hunc libellum, vulgo

gò nec cognitum ſatis, nec apud bibliopolas amplius comparentem, idq́; hoc potiſſimum tempore, duabus de cauſis. Primo, ut Medici & Chirurgi Caſtrenſes ex his obſervationibus diſcerent naturam ſoli, aërisq́; & aqvarum Hungaricarum, langvoresq́;, & morbos inde obvenientes, & mature de remediis debitis proſpicerent, alii vero omnes non minus ea, quæ circa Diætam in hoc libello notantur, in uſus ſuos verterent. Deinde, ut Medicos ipſos Caſtrenſes, qui jam illam in Vngariam profectionem ſuſcipiunt, excitem, ut, *Coberi* exemplo, diligenter non tantum omnia annotent, ſed & aliquando, ſi in patriam eos reduxerit Deus, ſuas de Morbis Vngaricis obſervationes publico communicent. Qvamvis enim non pauca diligentiſſime annotaverit *Coberus*, tamen ex magno numero tres tantum ejus Decades habemus, & facile quivis videt, multa adhuc poſſe à diligenti Obſervatore addi, cum inexhauſta hæc opera ſit, & Hungaria latè pateat, nec proinde eadem ubique patiantur milites, ſed pro varietate locorum diverſa. Certè, qui hac in re aliquid laude dignum præſtiterit, illi ego eruditi orbis applauſum non dubito polliceri; fructus vero non ad noſtrum tantum, ſed venientia quoque ſecula pertinebit.

Verum

Verum, ut de ipſo *Tobia Cobero* aliquid adhuc adjiciam, & Autoris elogio libello huic hederam ſuſpendam, operæ pretium videtur. Natus eſt Gorlicii, in ſuperiore Luſatia, in confiniis Bohemiæ, & in hanc Academiam Juliam anno ſuperioris ſeculi nonageſimo Medicinæ diſcendæ cauſa venit, quam tum hîc docebant Viri celeberrimi *Jacobus Horſtius*, *Franciscus Parcovius*, *Martinus Biermannus & Johannes Sigfridus*. Valuit autem plurimum ingenio, & litteris egregie excultus fuit, quibus ſubciſivas horas impendit, & etiam in Parnaſſum interdum ivit, Lauru proinde Poëtica ornatus, edita comœdia, quam *Hoſpitia* inſcripſit, hoc in loco anno 1594. impreſſa. In Medico vero ſtudio ita profecit, ut anno ſequenti ſummis in Arte Medica honoribus cum aliis præclaris viris ornaretur, Decano Jacobo Horſtio, cum prius Inauguralem Diſputationem *de Paralyſi in morboſa conſtitutione & ſolutione continui* publicè habuiſſet. Quid deinde ipſi evenerit, quamdiu vixerit, & quando, & ubi mortuus, juxta cum ignariſſimis ſcio. Ex hoc autem libello apparet, eum paulo poſt, qvam ex hac Academia diſceſſit, Medicum Caſtrenſem honorato ſatis ſtipendiò factum, &, durante bello Vngarico, per ſeptennium & amplius munus illud obiiſſe, Magnatibus & Ducibus Cæſareis cariſſimum. Obſervationes autem has, quas damus, durante adhuc

 bello,

bello, in ipſis caſtris, &, cum paullulum Leorium ſeceſſiſſet conſcripſit, primam Decadem a. 1604. reliquas duas anno ſequenti, publicatas tandẽ omnes tres Francofurti, è collegio Paltheniano, a. 1606, Jam tum ante quoque Gorlicij in Patria ſua a. 1593. ediderat Libellum *de Lacte & Pultibus, quibus infantes ſuſtentantur.* An autem alias ſeqventes decades Obſervationum publici juris fecerit, non dixerim: nihil certè ejus vidi, quamvis optarem, ut, ſi apud hæredes adhuc extarent, aliquando promerentur, ne quid profuturum ſeculis lateret.

Interim hanc Editionem novam juxta Francofurtenſem accurate adornatam eſſe ſcias, Benevole Lector, & Indice inſuper auctam, qvi vel hac de cauſa mihi neceſſarius viſus eſt, qvoniam *Coberus*, vir varia doctrina inſtructisſimus, multa his libellis interſperſit, qvæ ibi extare nemo exiſtimet, & qvia ſuæ per exempla rem tradendi methodo inhærens, de eadem re diverſis in locis agit unde fieri poteſt, ut legenti non omnia ſtatim pateant, cui index hic, publico uſui adornatus, ſuccurret. Vale. Helmſtad. in Academia Julia. VI. Kalendas. April. CIϽIϽCLXXXV.

OBSER-

OBSERVATIO-
NUM CASTREN-
SIVM ET VNGARI-
CARVM

DECAS PRIMA
AVSTRIACA.

SVMMO TOTIVS ORBIS CHRISTIANI MODERATORI DEFENSORIQVE

Divo RVDOLPHO SECVNDO, *pio, felici, ſemper Auguſto; Patri Patriæ, optimo maximo poſt ſuperos, Pannoniarum Tutelari, victorias & triumphos.*

Militem qvendam, cum Julio Cæſari in conflictu Pharſalico defatigato, tempeſtive potum frigidæ in galea porrexiſſet, Sacratiſſime & Invictiſſime Cæſar, aliquot terræ jugera, muneris loco, obtinuiſſe legimus. Vtinam Sac. Cæſ. Maj. decennali bello Turcico defatigatæ, tempeſtive frigidæ noſtræ oblatione, non minus complacere poſſim: cum tantæ Majeſtati ſatis digna, pro tam Herculeis laboribus, curis & vigiliis, per duo luſtra continuatis, ne tota quidem Reſp. Chriſtiana, ne dum minimus ex ſubditis, offerre queat. Etenim ſi pari magnanimitate, vigiliis, zeloque molem negotii hujus Martii Europa tota, coadunatis viribus, ſubire ſtuduiſſet: quibus hactenus Sereniſſima Domus Auſtriaca criſtas hoſtis perjuri,

iuri, Jehovah vindice, fortiter confregit, de ipſius Thraciæ viſceribus tam inaudita prius contra Turcas belli continuatione trophæa ſtatuiſſemus. Trojani enim belli tempus jam ſuperantibus annis plura hominum millia tantis expeditionibus abſumta, ultra Xerxæas gazas in ſumtus bellicos erogatos fuiſſe Oriens & Occidens conteſtatur. Et tamen tantis hominum ſtragibus, tot vix univerſæ Europæ perferendis impenſis, Reipub. Chriſtianæ meſſem, tali ſemente dignam, non ſatis correſpondiſſe, vel ex eventu liquet. Hujus autem rei tanti momenti cauſſas alias vix dari poſſe ſtatuo: (Si Medico, per ſeptennium in caſtris verſato, de ſanitate, diæta, morbiſq; Caſtrenſibus loquenti, fides deroganda non eſt) quam quod in tuenda proſpera valetudine, quæ militi pugnaturo ſarta tectaq; conſervanda eſt, plurimum ſemper erratum fuiſſe, vere ſim expertus. Legionibus enim quoad numerum confertiſſimis, quoad robur lectiſſimis, quoad arma inſtructiſſimis, languores morboſq; Pannonicos, plus ſemper damni, quam hoſtes intuliſſe, non ſine mœrore, recordor. Hinc enim factum, ut medii nonnunquam victoriarum curſus ſint intercepti: Cum ad manus conſerendas minores ſæpe manipuli, ad aciem inſtructi, hoſtibus opponi potuerint, ſub finem Autumni cohortibus non Marte, ſed Morte ad raritatem jamdu-

dum deductis. Huic autem malo, ſatis per ſe luctuoſo, quam heroica & pluſquam paterna prudentia Sac. Cæſ. Maj. obviam iverit, vel hinc ſole clarius eſt: quod non modo generali ſanitati caſtrenſi Medicos ſemper binos adjungi demandaverit. Sed etiam Noſocomio caſtrenſi Anno 1597. Attalicis prorſus ſumtibus inſtructiſſimo militi decumbenti, clementiſſime proſpexerit. Summo igitur jure primitias has noſtrarum obſervationum Caſtrenſium Sac. Cæſ. Maj. ſibi vendicat: quæ tamen ad tantæ Majeſtatis ſplendorem vix aquæ frigidioris hauſtui correſpondebunt: niſi rei neceſſitas tenui noſtræ opellæ patrocinabitur. Hoc autem ut fiat, ardentiſſime exoptans, me Sac. Cæſ. Maj. humilimum clientem invictiſſimæ Cæſareæ Aquilæ, cujus humeris Coloſſus Danielis totus innititur, defenſioni contra malevolos æterna animi ſubmiſſione commendo: indubitanter ſperans. Sac. Cæſ. Maj. veterani ſupplicis, in Vngaria laboribus & ſumtibus ad offerendam Hecatomben exhauſti, molam ſalſam clementiſſime reſpecturam. Datæ, Anno 1604. III. Calend. Aprilis, qui mihi cunctiſq; Chriſtianis ob felicem prudentemq; Jaurini receptionem ſemper auſpicatiſſimus fuerit.

Sac. Cæſ. Maj.
humilimus cliens.

THOBIAS COBERUS D.
Phyſicus Caſtrenſis.

AD CANDIDUM
LECTOREM.

EN tibi Benevole Lector, ex pluribus noſtris Obſervationibus Hungaricis & caſtrenſibus priores Decades tres, Auſtriacam, Sileſiacam, & Svevicam, quarum neutra, ni tibi diſplicuerit, mirabor profecto: Cum abortivus hic fœtus certo, ſi per me ſtetiſſet, vel ante partum enectus fuiſſet. Sed vicit, diuq; recalcitrantem in publicum protraxit pertinax candidorum doctiſſimorumq; virorum ſtudium, & ignara curtæ meæ ſupellectilis voluntas, cui dum gratificari cogor, imprudens eo delapſus ſum, unde nunc pedem retrahere, etſi maxime adnitar, non poſſim. Jacta enim eſt alea: cujusvis cenſuræ & tribunitiæ poteſtati ſubjecti ſunt labores noſtri caſtrenſes, bonis omnibus eo alacriore mentis motu obtruſi, quo tutiores illos à Theoninis dentibus fore confidimus. Cum enim in alieno & hoſtili ſolo ad perferendas injurias prorſus obriguerint, duriter vero praxin exercendo callum ſibi obduxerint, verba tantum & conſuſurros cenſorum nimis perſpicacium facile pertulerint: Si modo tuo, candide Lector, calculo non prorſus damnabuntur. Quam vero elegantiam in ſcribendo, aut verborum phaleras ab iſto exſpectes, qui vix ex caſtris & media barbarie prorepens, plus ſulphuris quam thuris olet? Boni igitur hæc, qualiacunq; ſint, ut conſulas, benigne Lector, nævosq; forſan plurimos literata humanitate contegas, amanter rogo: re ipſa olim experturus: hæc in halcyoniis tranquillis jucundius legi, quam inter arma & enſes colligi conſcribiq; poſſe. His vale & barbaricam hoſtem piis votis (cum Muſæ plus præſtare nequeant, Marte vigente) à cervicibus tuis longiſſime removeto.

DECAS I.
AUSTRIACA
OBSERVATIO PRIMA.

ILluſtris & vere generoſus Heros Sigfridus à Kolonitſch, Liber Baro in Burgſchleinitz, Haindorff & Idenſpoyen, &c: Sac. Cæſ. Majeſt. & laudatisſimor. Ordinum inferioris Auſtriæ jam per plures annos Dux equitum ferentariorum gravis armaturæ, quam ſpartam ſibi commiſſam, quanta fide, dexteritate & prudentia exornarit, quoſuis alios potius, quam me, ſuæ Magnific. domeſticum fere, teſtem eſſe malo; cum flagrantisſimo Sirio 30. Julii Anno 1596. *in lenonem quendam caſtrenſem vehementius excanduiſſet, hauſtumq́; vini meracioris gelida, & quidem glacie (cujus magnam vim ex ſubterraneis ſpecubus Facienſium Turcarum Ungari protraxerant) refrigerata ſuperbibiſſet, motuq́; violentiore incaluiſſet; in febrem ephemeram, quæ dubio procul, ſi dextre tractata fuiſſet, diem unicum non tranſiliiſſet, incidit. Excoquebamur tum æſtu, ſi quo unquam, certe flagrantisſimo: Sub cane, eoque ſumme ferventisſimo, eramus: Sic, ut in ejusmodi, quæ tum quaſi epidemice graſſabantur, ne in continuas aut cauſonicas febres tranſirent, magnopere invigilandum eſſet. Ad primam ſtatim acceſſionem vocati fuiſſemus: niſi Medicaſtri cujusdam procax* πολυπραγμοσύνη *ſuæ Magnificentiæ ad artem Medicam proclivisſimæ, obſtitiſſet. Erat Medicaſter ille Equitatui Auſtriaco à ſacris concionibus: qui cum per tranſennam aliquando pharmacopolium quoddam inſpexiſſet, miram hinc artis* Medicæ *periti-*

ritiam ſibi adjudicarat: Sic ut etiam in corpore hoc Heroico periculum ſui profectus ſatis audacter facere præſumſerat. Pillularum enim aggregativarum ſesquidrachmam quam Cheirurgus æq; imperitus vel ipſe Viennæ conglobarat, ſummo mane ſtupendi myſterii inſtar, ſuæ Magn. obtulit, oblatam intruſit. Vix aſſumſerat, ecce boni noſtri Practici Parochus & Barbitonſor, anhelantes accurrunt: rogant ut Heroi, jam morituro, præſto ſimus: ſimulq; quid tentatum ſit in illa conſternatione coram cunctis proclamant. Tantas enim intempeſtiva bilis efferveſcentis commotio torſiones, & viſcerum eroſiones excitarat: ut ad ſuam Magn. accedentes, vix non animi deliquium, aut graviora ſymptomata vereremur. Enormiter equidem turgens materia evacuabatur: Sed, cum natura ſuæ Magn. tenerrime tractanda fuiſſet; utpote quæ etiam leviſſimis Pharmacis irritata, cohibenda potius, quam exſtimulanda ſit, non injuria quamprimum ad abſtergentia & lenientia motumq; humorem cohibentia decurrebamus. Fiebat hoc per Enemata: quorum primum ex decoctione hordei, alterum ex puris oleis, tertium, propter doloris atrocitatem, ex anodynis conſtabat: quibus etiam Chriſto, medicante, paucis horis dolor omnis ita conſopiebatur: ut, cum ſub ſerum crepuſculum tria Laudani veri grana in emulſione quant: ſ. ſem: frigid. major. exhibuiſſem, ſua Magn. per totam noctem placidiſſime, usq; ad ſeptimam diei horam dormierit. Apparentibus autem ſignis concoctionis in urinis, nec evidente laſſitudine remanente, cum tamen ſitis clamoſa ſuam Magn. tam commotione bilis, quam fervore caniculari exagitaret, ad potum frigidæ non difficulter deſcendebamus: ſaluberrimi præſertim fontis viva ſcaturigine limpidiſſimas aquas ſuppeditante. Fons iſte tertio à Facia, ex cujus latere Orientali caſtra metati fueramus, lapide, ſub tecto, quo Turcæ, fontium admiratores, eundem conveſtierant, de concamerata porticu promanans, venulas ſuas, ex vicinis montibus, qui Auſtro recta oppoſiti auro, eoque puriſſimo, dubio procul turgent, mutuabatur. Tam blando enim afflatu non ſolum inteſtina, ſed ipſum cor, irrorabat: ut, experien-

rientia penitus convictus, ſalubriores lymphas nunquam me guſtaſſe, nec unquam guſtaturum, putem. Cum autem, propter nimiam ſubtilitatem nullam ebullitionem admitteret, Sacchàro candi & cinnamomo contuſo, per manicam Hippocratis infuſas aquas transcolabamus: quo quidem clareto non modo mirifice delectabatur: Sed etiam fuligines ardentes ſic reſtinguebantur: ut poſt triduum ad excurſionem, quæ Peſthum verſus inſtituebatur, pancratice valeret. Etſi autem in eodem incurſu, hoſtes provocando, & aliis equeſtribus commotionibus, Sirio ardente nimium excalfactus, ad recidivam devenire potuiſſet: tamen, cum aſſiduum clareti noſtri uſum continuaret, non modo ad conflictum Kereſtinianum usq; (circa quem ſua Magn. catharro, vigiliis & aëre humidiore concitato, paulum inquietabatur) integra ſanitate fruebatur: ſed medicaſtros caſtrenſes ſerio deteſtatus, per totum quinquennium deinceps me in caſtris Heroica, fide & benevolentia complectens, contra Centaurorum Thraſonumq; fremitus & ronchos, Germana magnanimitate, defendebat.

SCHOLIA.

QVanta perditorum hominum, de Medicaſtris caſtrenſibus loquor, per totum hoc decennium, non ad curandos, ſed ad enecandos ægros, in Ungariam colluvies confluxerit, vel hinc æſtimari poteſt: quod etiam ex Medicis ſollemniter pronuntiatis, & tam Sac. Cæſ. Maj. quam Ordinum Imperii mandato, ſanitati caſtrenſi præpoſitis, ad quadraginta fere fuerint extincti. Ineſcatrix enim illa Pannonia, voluptatum ſuarum illecebris, & ſpe lucri, vel ex remotis regionibus, Medicos attraxerat: ut de Agyrtis Judæis, Anabaptiſtis, Chirurgis imperitis, Chymiſtis deſperatis, tonſoribus, prædicatoribus deniq; caſtrenſibus altum ſit ſilentium. Hi enim omnes, illotis manibus ad ægros irrumpentes, Plinianum illud, quo ſolos Medicaſtros impune in homines graſſari aſſerit, ſedulo adimplebant: Si quidem, ut

ſancta

ſancta fide confirmare auſim: plures hoc decennio per ejusmodi Harpyias, quam ab ipſis hoſtibus, trucidatos. Et Clericis fortaſſis otium, quo, cum rara ſit in caſtris devotio, abunde fruuntur, hic patrocinari poſſet: Reliqua Medicaſtrorum caſtrenſium ſentina, unde coram horrendo Chriſti tribunali patrocinium tantorum ſcelerum mutuatura ſit, non video. Confluit enim ad Pannonas flos militaris: qui non niſi egregie male tractatus, decerpendus videtur. Nec enim facile quis duriſſimum hoc vitæ genus ſubire geſtit: niſi prius ſubductis rationibus ſe viresq; ſuas, utrum tanto oneri ſuffecturæ ſint, æqua lance perpenderit. Felicem, autem, & perfelicem, dixero: ſi in alieno & hoſtili ſolo morbis obrutus Medicum fidum verumq; adeptus fuerit: quam quidem felicitatem caſtris æternam velle, & voluiſſe, tam, ſereniſſimam Domum Auſtriacam, quam Ordines utriusq; Auſtriæ, abſit ut dubitem: cum hi copiis ſuis in Ungariam fideliſſime miſſis, Medicinæ Doctores adjungi curaverint: Illa publico ſalario, generali ſanitati caſtrenſi paterne prudenterq; conſuluerit. Quam providentiam paternam utinam reliqui Imperii Ordines imitandam potius, quam, vile forſan æris exigui momentum comparſuri, devitandam cenſuiſſent, de ipſis Thraciæ viſceribus jamdudum triumpharemus. Magnum eſt, quod aſſero, majus ſubjungo: hac, ut molliter dicam, negligentia, plenum victoriæ curſum non, modo interclusum, ſed veteranis paulatim abſumtis, Tyronibus neglectis, triariis vix non prorſus ſublatis, tanto majores hoſti nervos additos eſſe, quantos nobis præcidimus: ut de ſuſpiriis, quæ, tam inhoneſta morte milite exſtincto, non poſſunt non nubes perrumpere, nihil dicatur. Eo usq; enim temeritas practicorum caſtrenſium progresſa fuerat: ut Anno 1599. etiam vetulæ ſagæq; & incantatrices ad mactandum deſcenderent: quarum furias niſi fer-

ro compedibusve coerceri curaſſemus, vix, ex oppoſitis ripis Turcis Tartarisq́ graſſantib. legiones, per lemures ejusmodi ad raritatem deductas, eodem Autumno oſtentare auſi fuiſſemus. Plus igitur præſtiterit: qui Medicum verum, rebusq; neceſſariis inſtructum, ad Ungaros demiſerit: quam ſi integra legione militum, non ab hoſte, ſed morbis & negligentia ſanitatis publicæ enecanda, ſumtib. vix tolerandis, ſuppetias tulerit. Merito n. & quidem ipſa experientia ſuffragante, vix quintum locum Turcæ hoſti in Ungaria conceſſero? cum impietas erga Deum, negligentia ſanitatis publicæ, privati commodi ſtudium, livor & invidia Turcas multis poſt ſe paraſangis relinquat. Impietatem erga Deum primo loco pono: quod contra ſtimulum nos calcitraturos vereor: Si, Dæmone quovis deteriore ſæpe milite, Sathanam Turcicum oppugnare perrexerimus. Et huic quidem malo, plauſtris præſertim blaſphemiarum; quibus caſtra, proh dolor, circumvallantur, obviam iturus Sereniſſ. Archidux Maximilianus, Anno 1597. Calend. Aug. ſanctiſſimis edictis, quæ præcinentibus tubis paſſim in caſtris divulgabantur, non minus pie, quam fortiter, Chriſtiani Imperatoris munia ſubibat; quæ tamen paulo poſt, effreni tam ſuperiorum, quam inferiorum rabie antiquabantur. Negligentiam ſanitatis publicæ in ſecundis pono: cum vel hac ſola omnes, etiam rectiſſime diſpoſitas molitiones diſturbatas, non ſine bile recordor. Abſit n. ut his, quibus adhuc conſtringimur, compedibus in Ungaria nos detineri pateremur: ſi vel limis ocellis ad hanc, in caſtris apprime deſideratam ſanitatem reſpectaremus. Illi n. qui metationibus caſtrorum præfecti ſunt, cum plerumq́ res ſiniſtre penſitent, perſuaderi nunquam poſſunt, ut in deſignatione manſionum paulo plus milites, quam jumenta reſpectent: ſic quidem, ut non raro commodis aquationis tantum inſervituri, uliginoſas & teterri-

terrimam mephitim exhalantes convalles eligere ſoleant: quæ humi cubanti, miſero gregi, ipſo aeris attractu, venenum, pro ſanitate, infundunt. Nil jam de ſubvectione commeatus, deque vini, modo rate, modo axe devehendi, turbidiſſimis ſentinis, quibus miſer miles vivere cogitur, dicam: hoc tamen unicuiq; penſitandum relinquo: quænam ſanitas illi futura ſit: qui pani, modo mucido, modo furfuraceo, modo ex clibano ferventi, carnes adhuc trementes ſupergerere, potum vero, quavis lacuna turbidiorem, ſuperhaurire cogatur. Privati commodi ſtudium tertius hoſtis erit: quod ſi uſpiam, certe in caſtris, impunitate ſumma tyrannidem exercet. Quanta n. ut molliter dicam, imprudentia hæc eſt: quod nulli fere ex Ducibus, quorum fidei turmæ equeſtres, & peditum phalanges toto hoc decennio concreditæ fuerunt, Medicis una deductis, tam ſibi, quam ſuis, conſuluerint: cum tamen honeſto ſatis, non tamen nimis fructuoſo quinquaginta florenor. ſtipendio, cuilibet legioni & cuivis mille equitum turmæ, vel decreto Sac. Cæſ. Maj, fuerit proſpectum. Qui igitur his denariolis privatum commodum adaucturi, Medicis caſtrenſibus ſubtractis, vel eorundem loco peſſimis homicidis, uno & altero nummo conductis, Rem publ. Chriſtianam infanda clade affecerint, videbunt ſane ſuo tempore, utinam brevi, quam ſe vix homines præſtiterint. Livoris & invidiæ furias tanto magis Turcis præponendas ſcio: quo atrociorem noxam illarum, cum inter noſtrates ſæpe me ſpectante graſſatæ ſint, experiri coactus ſum. Nec enim leviter teterrimo livore victoriæ noſtræ contra Turcas baſis hoc decennio fuit concuſſa: ſic quidem, ut vel hoc ſolo, dum gravi ſimultatum & arrogantiæ veneno præcordia multorum infecta, omnem rei bene gerendæ occaſionem ſæpius extorſerunt, quemvis Turcam ſuperatum ſtatuam. Ponam tamen in quinto & ultimo

mo loco remorarum noſtræ victoriæ Turcam hoſtem, hominem (ſi tamen tale brutum pecus homo dicendum eſt) re vera nihil minus, quam ſtrenuum militem. Quamvis enim conceſſero, ante decennium per Europæos Baſſas, Temeswarienſem, Budenſem & Boſſinenſem, in his ipſis noſtris limitibus florem militum ſuſtentatum fuiſſe: eundem tamen feliciſſimo mactatu per hæc duo luſtra fortiter reſectum ſcio. Scio & illud: fatali mille annorum periodo ad finem deducta, non prius hos Aquilæ Cæſareæ, Draconisq; Turcici conflictus conficiendos: quam labes priores interneciva hoſtium clade fuerint abſterſæ. In hoc maturando ſtrenuiſſimum ſe his duobus luſtris præſtitit Dominus Kolonitſchius, non modo impietatem erga Deum ſummo ſtudio à commiſſis ſibi turmis arcendo, ſed etiam in metatione caſtrorum, quemvis etiam incurſionibus hoſtilibus obnoxium locum ſeligendo: dummodo ſanitatis caſtrenſis ratio haberetur. Et hanc quidem, quam ſedulo tutatus ſit, locuples teſtis eſſe poſſum: cum me, vel per quinquennium non modo honeſtiſſimo ſtipendio in caſtris detinuerit: ſed etiam ſua manu ſæpe ad infirmos, ex ſuo equitatu decumbentes, plus quam fraterne deduxerit, militis, ex grege vel minimi, ſanitatem quovis auro redimendam cenſens. Patuit certe his omnibus non modo ad ſuam Magn. promtiſſimus aditus; ſed etiam ex foco ſæpe & commeatu, qui propter tales ſemper inſtructiſſimus nulli occluſus, ſaluberrima, & in caſtris corvo candido rariora pharmaca mutuabantur. Quibus quidem, non dicam artibus, ſed debitis communi neceſſitati & Reip. Chriſtianæ officiis, ſuffragante divina clementia, effectum eſt: ut a ſuæ Magn. ferentariis equitibus toto quinquennio, exceptis illis, qui pulcerrima morte pro aris & focis occubuerunt, fato morbiſque vix ſedecim fuerint exſtincti: cum contra ſæpe dimidia pars illorum, qui a Ducibus, impieta-

pietate, negligentia & ſordibus nulli ſecundis, ad Vngaros deducebantur, turpiſſima morte, morbiſq́; inhoneſtis confecta ſit deſiderata. Qvoties enim, re ad conflictum ſpectante, vix quingentos ex mille, quo numero conſcripti & authorati fuerant, equitibus in aciem produci potuiſſe recordor: toties hanc illorum vafritiem & avaritiam toto corde deteſtor. Cum vero ad legiones & cohortes pedeſtres reſpecto, vix gehennæ tormenta, tantam improbitatem excoctura vereor: qua miſeri milites, ſumme etiam data opera ab iis, qui parentum loco eſſe deberent, in caſtris confici ſolent. Sed hæc ſeveriſſimo tantorum delictorum vindici commendans, ad ſecundam ex obſervationibus noſtris tranſcendo: cum non ſine horrore recorder: quantos crabrones excitaverim: quoties, generali ſtipendio publicæ provinciæ Medicæ deſignatus, ad illorum Centaurorum, Thraſonumque rabiem connivere nolui: Sed, conſcientiæ meæ conſulturus, peſſimis illorum molitionibus, obviam eundo, quidvis molitus ſum; gravibus nonnunquam, de publicandis tantis ſceleribus, comminationibus interpoſitis.

OBSERVATIO SECUNDA.

Illuſtris & generoſus Dominus Carolus à Kolonitſch, &c: Sereniſſimo Archiduci Maximiliano à ſecretis Cameræ, cum eodem tempore languore febrili, menſe Auguſto correptus, ſiti torqueretur, & de clareto Domini Fratris, quod plurimum arriſerat, guſtaſſet: à Pharmacopola, unam & alteram amphoram ſibi præparari poſtularat. Pharmacopæus parum memor, quam caute cum ſuccedaneis procedendum ſit, lucro inhians, cùm ſaccharo candi deſtitueretur, ex melle crudo & pauco Cinnamomo, neſcio quod hydromel decoxit: decoctum Domino Carolo obtulit: qui lagenis refrigeratis dolum non animadvertens per unum & alterum diem de illo Nectare ſedulo potitavit. Quantam vim bilis citrinæ ſuſpectus hic, Sirio

candente, mellis uſus in corpore ad bilem promtiſſimo coacervarit, dici nequit: ſic ut, vomitu, periculum arguente, cum per Magnificum D. Capitaneum eo deductus fuiſſem, & de turbido illo clareto pitiſſans, dolum deprehendiſſem: re diſſimulata ad Pharmacopolam me ſubducebam: hominem de tanto errore ſubmoniturus. Etſi autem primo, ut perfrictæ frontis eſſe ſolent plerique, ſtrenue tergiverſaretur: tamen tandem liquido confeſſus, non modo ratione mellis, ſed præparatione quoque erratum fuiſſe, declarabat. Aquam n. quam D. Patiens ex fonte illo ſaluberrimo, quæ aërea ſua ſubſtantia vel minimam ebullitionem faſtidiebat, adferri curaverat, non modo diu decoxerat, ſed & indiſcretim commixtum mel cum favo cereo vix non percolarat. Cauſa igitur mali cognita, remoto tam virulento mulſo, decocto Raphani & ſimilium, vomitum irritantium, materiam, adhuc ventriculo inhærentem, exturbantes, bilem in ſumma copia primo citrinam, hinc porraceam evacuabamus; qua evacuata, non modo ſitis, nauſea, oris amaror, & alia ſymptomata, ſed etiam ipſa febris, licet ſubobſcure Dominum Patientem languefaceret, penitus ceſſarunt. Cum tamen languor ſtomachi, & proſtratio appetitus, cum laſſitudine, relinqueretur, poſt inunctionem oris ventriculi ol. nuc. moſchat. & de mentha, etiam iſta ceſſaverunt. Etſi autem ſequentibus annis in caſtris ſæpius ex bile, in ventriculo coacervata, languores ſenſerit: tamen, mox ad vomitiva digrediens, cum illarum ſentinam abſque ulla moleſtia rejiceret, ſignis equeſtribus ſoſpes, & viribus integer, ſumma cum laude præfuit: Sic tamen, ut Anno 1601. menſe Febr. cum ſuperioris anni ſagunthina fame, in Caniſiæ fruſtranea defenſione perpeſſa coactus, carnes equinas ſemicrudas ingurgitaſſet, non tam facile integræ ſanitati reſtitui poſſet: Hanc tamen feliciter recuperabamus: cum Apollani, juxta lacum Piſonium decumbenti, 27. Febr. violentiore vomitivo, illa ipſa fruſta carnis equinæ, quæ fœdam putrilaginem contraxerant, rejeciſſemus. Cumque propter impeditam concoctionem phlegmate viſcoſo in inteſtinis coacervato malis variis in imi ventris anfractibus excru-

cruciaretur, radicis Mechoacan: auctiore doſi exhibita, foris vero fomentis, carminativis etiam, loco & tempore, conſentiente, applicitis, brevi pancratice convaluit.*

SCHOLIA.

QVantum de nequitia Medicaſtrorum conqueſti fuimus: tantum de Pharmacopolis caſtrenſibus nos conqueſturos ille præſagierit, qui Pharmacopæos non dextram, ſed ſiniſtram Medicorum manum eſſe cenſuerit. Siniſtram dico: cum pleriq; dextre à Medicis præſcripta, ſiniſtre præparantes, decumbentes in extremum diſcrimen, Medicos in quosuis labyrinthos conjicere ſoleant. Qvicunq; igitur ad Pannonas medicaturus digredieris ante omnia, proprio Pharmacopæo & officina propria, inſtructus, ut deſcendas, expertus ſyncere temet adhortor. Secus n. ſi feceris, næ magno tuo malo perfidiam, pluſquam Punicam, hoc in caſu experiere. Sunt enim plerumque tales caſtrenſes, ut vocantur Pharmacopolæ, uſq; adeo nullius artis, nullius conſcientiæ, nullius deniq; vel micæ integritatis: ut hac peſſimos quoſque, illa deploratiſſimos, artis vero ruditate ipſam ruditatem ſuperent. Quod quidem ut non de omnibus perpetuo verum confirmem: Sic de plurimis vero verius eſſe vel dejerare auſim. Tyrones enim plerumq;, vel quibus vix ex diſciplinæ loris tergora refrixerunt, ad caſtra deſcendere ſolent: quorum quidem conſcientiæ & experientiæ, quam tuto ſalus tot, ſummæ & imæ conditionis, militum committi poſſit, vel lippus viderit. His adde, quod plerumque boni illi Pharmacopæi ex aliunde mutuo ſumtis materialibus ſuas, non tam officinas, quam carnificinas inſtruant, rem quacunq; tandem ratione facturi. Cum enim a ſupplicio furcæ, cujus metu, & ob oculos poſito aſpectu, rabies & impudentia Mercantium coercetur, neſcio quibus privilegiis

De Pharmacopolis caſtrenſib9

giis

giis ſint exemti: ſic ut nemo ex cenſoribus merces & pharmaca æſtimare audeat, non ſolum quovis precio pro lubitu indigentibus ſua concedere ſolent, ſed etiam, ſi uſpiam alibi, in caſtris certe impunitate ſumma, quid pro quo miſeris obtrudunt. Poſſem ſane, ſi vellem, unius & alterius impoſtoris hujuſmodi fraudes & nequitias poſteritati devovendas propinare: qui Anno 1595. & 96. ex unica theca, contra diverſos morbos, vel centum ægris paucis horis pharmaca depromſerint. Quam vero ſupine oſcitantes in pharmacorum præparatione ſtertant, verbis exprimi nequit: cum ad nihil minus, quam ad ſanitatem miſerorum, anhelent. Pultes n. ſuas: quas ſub magnifico electuariorum titulo paſſim venditant, ipſo ſaltem aſpectu, nedum uſu, nauſeam & vomitus excitaturas, certo tibi perſuadeto: cum plerumq; feſtucis, terra, limoq; ſint incruſtatæ: ut de fermentatione, quæ tam propter agitationes, quam intenſiſſimos fervores, in lamineis præſertim vaſis, non evitanda eſt, nihil dicamus. In his autem, quæ præſentiſſimum lucrum hujus farinæ hominibus corradunt, à milite præſertim Italo, eſt aqua, quam vocant, cocta: cujus ingens ahenum aliquot hordei manipulis deſpumans radicum modo liquirit: modo polypod. uno & altero fruſtulo, nec non paucis, iiſque integris uvis paſſis adjectis multis nonnunquam coronatis venundatur. Et conceſſero quidem aquas, coctas crudis præſtare: cum flammæ probet omnia fervor: quod tamen non quævis unda vulcanum patiatur, eſt in confeſſo. Turbida illa Danubii, ſentina potius, quam aqua, recte quidem, in Ungaria præſertim, ubi ex limoſis cœnoſisq; ripis fœdam mephitim mutuatur, luculento foco, dummodo occaſio datur, decoquitur: Promiſcue tamen quoſuis vivos præſertim, latices ebullitione exanimandos non eſſe, recte ſtatuimus. Mellis quoque Pannonici cum hic mentio fiat, ſciendum eſt: illud

præ-

præſertim, quod juxta Danubii dumeta ex alvearibus ſæpius ſylveſtribus, exſcinditur, Ponticum quid ſapere: cum ſæpius vix unico cochleari, crudo devorato, ſumme noxias dyſenterias, & peſſima ſymptomata apud plurimos concitata fuiſſe recorder. Et tamen ſæpius boni noſtri Pharmacopæi caſtrenſes, tam virulentis delitiis, nectar, claretum, Juleb, & alia gulæ militaris ineſcamenta præparare ſolebant: ut de refectionibus, pro ægro milite, iisdem ſuccis intoxicatis, ribium & ceraſorum, nihil dicam. Ceraſa enim nigra & vinoſa, Amarena dicta, eodem nectare condiebant: ſic tamen, ut pro toto thaleri quadrante vix quatuor, tam belle conditorum ceraſorum, miſeris ægris, teſtor fidem, veniſſe viderim, & infremuerim. Nam de taxa apud hos ne quidem mutias: cum impuniſſime in loculos, vitam, animas deniq; ægrorum tales Harpyiæ graſſentur. Et hæc de Pharmacopæis caſtrenſibus dicta ſunto: reſtat, ut ad Chirurgos caſtrenſes antennas obvertamus.

OBSERVATIO TERTIA.

Lluſtris & generoſus Dominus, Henricus Mattheus, Comes à Turri, &c. tunc temporis ſupremus locum tenens Equitatus Ordinum inferioris Auſtriæ, vir & animi & corporis dotibus inſigniter exornatus, cum, poſt exantlatos Herculeos labores, quibus menſe Auguſti Anno 1598. *cælo fervidiſſimo Theodoſiam, Palottam, Veſprinium, & tractum lacus Palottenſis Turcis eripientes, defatigabamur, in febrem tertianam incidiſſet, nobisq;, præmiſſa leni evacuatione, cum facilis ſolutionis eſſet, & natura pharmaca abhorreret, ad venæ ſectionem deveniendum eſſet,* 5. *Septembr. eandem, infauſto ſidere, moliebamur. Cheirurgus enim ſuæ Magn- ſatis honeſto ſtipendio conductus, juvenili temeritate procax & audaculus, cum de injuria ſibi facienda proteſtaretur, niſi ad pertundendam ve-*

nam adhibitus fuiſſet, & nos tamen ſupinæ illius homuncionis imperitiæ gnari eſſemus: connivente tamen D. Comite, ne crabones irritaremus, in corpus herile tantum artificem graſſari patiebamur. Quod cum quinto fruſtraneis ictibus non ſine ſumma iſtius Tyrunculi confuſione, & Domini Comitis conſternatione, in venis adeo turgentibus, attentaſſet, & jam ſexto, non venas, ſed arterias pertuſurus, ferrum diſtrinxiſſet, indignatione rei motus, hominem pronum ex tentorio proturbans, hoc ſolo miſerum à præſenti morte, qua certè, ſua Magn. furiis & ira non immerito excandeſcente, pugione confoſſus contabuiſſet, eripiens. Etſi autem Chirurgus noſter, mox ſuperveniens, dexterrime ſanguinem elicuiſſet: febris tamen ſequenti die vehementiore exacerbatione cum rediret, ita ut jam dupla videretur, ad cauſas procatarcticas reſpiciebamus: quas tam inauſpicatæ venæ ſectionis, quam aëris ipſius, tunc temporis turbulentisſimi incommodis, nec non inundationibus Iſtri aſſcribebamus. Danubius enim ſi unquam antea, menſe eodem ita exæſtuabat: ut non modo ſæpius caſtra, etiam in collibus & editioribus locis metata, nos mutare cogeret: ſed, poſtquam paulum aquæ detumuiſſent, graveolenti mephiti relicta, noxiis halitibus auras conſpurcans, ad ejusmodi febres excitandas plurimum momenti conferebat. Cumq́; Dominus comes aucupio ſumme delectaretur & ob hanc momentaneam voluptatem, febri poſthabita, die intermisſionis, aëri tam ſuſpecto ſe libere exponeret, non deſinebam, ſuam Magn. ad diſceſſum ex caſtris, in quorum luto circa Jaurinum hærebamus, exhortari: in quo etiam 10. Septembr. licet ægre, nobis morem gerebat. Et quidem, mutato in melius aëre, ſua Magn. paulo poſt à febribus liberata fuit: ſic tamen, ut diarrhæa, per plures ſeptimanas eandem inquietarit. Hæc autem conſopiri prius non potuit: quam cum circa 16. Octobris, ad caſtra redux, meſpilis ſatis crudis comeſtis, viniq́; rubri adſtringentis hauſtu potenti ſuperinfuſo, ex hepatis bubuli aſſatura intritum ſibi fieri noſtro ſuaſu jusſiſſet: ex quo deinceps, Jehovah medicante, prorſus convaluit: ſic, ut ſequentibus annis turmas equeſtres ſua Magniſi-

gnificentia, Dux ipſemet à Sac. Cæſ. Maj. deſignatus, ſumma cum laude ductitarit: meq́, meamq́ ſpartam contra quoſvis moloſſos egregie ſit tutatus.

SCHOLIA.

QVale de Pharmacopolis, tale de Chirurgis quoq; caſtrenſibus ſit judicium. Horum enim ſumme imperitorum legionem facile in caſtris conſcripſeris: cum quoduis militare ſignum tam equeſtre, quam pedeſtre, ſuo quaſi proprio artifice peculiariter gaudeat. Et ſane, ſummo cum judicio, ad lanienas hoſtiles militi deſcendenti prudenter proſpiceretur: niſi pro emeritis tyrones, pro artificibus carnifices, ſtipendiis conducerentur. Hoc quod fiat, ſordes plerumq; Ducis, vel Capitaneorum, ſunt in cauſſa: qui avaritia ducti, lucrum turpe corraſuri paucis florenis Chirurgos rudiſſimos conducere, quam ſibi commiſſorum ſaluti conſulere malunt. Nec raro etiam evenit: ut præpoſteræ hujus frugalitatis pœnas dent præſentiſſimas: cum ſcilicet repentinis morbis obruti ab his ſuis tonſoribus opem petere cogantur, magno ſuo malo. Cum enim hi perbelle ſe inſtructos putent, ſi venas pertundere, barbas radere, verbiſq; ſesquipedalibus Dii! quos non Machaonas enumerare queant, vili ſex, octo & ad ſummum decem florenor. ſtipendio menſtruo plerumque contenti, minime rebus neceſſariis ſemet inſtruere, vel ſecuturis tempeſtatibus proſpicere ſolent: paucis exceptis, qui bene ſecum actum putant, ſi diamori uncias aliquot, rotularum contra Anginam, quas Breunzeltel vocant, maſſas parvas, Emplaſtri deniq; diapalmæ ſelibram, Antimonij vero ad purgationes fruſta nonnulla ad Vngaros devoluant. Habes methodum medendi Chirurgicam caſtrenſem ab omnibus fere receptiſſimam: quæ quod perfectisſima ſit, vel tonſoribus notum: cum ex hoc penu magni illius nominis corpora

De Chirurgis caſtrenſib9.

Chirurgica apud Pannonas adſtuporem uſq; inſtruantur. Decantatum enim illum morbum Vngaricum rotulis ex nitro, per flores ſulphuris depurato, diamoro vero Anginas nothas & veras diſturbant: Emplaſtro diapalmæ vulnera rupturaſve conglutinant: ſtibio vero omnes omnium humorum cataclyſmos evacuant. Ad reſectiones autem membrorum, vel leviter etiam tactorum, aut pulvere pyrio afflatorum potius, quam ambuſtorum, ſumme temerarios, ſicut & in venis, modo his, modo illis, vel decies una vice ſcalpello petendis audaciſſimos experiere. Tales quoq; ſe præſtant in deleteriis ſuis tabulisq; ſtibiatis; quas interdum ſaccharo, nonnunquam ex farina peculiaribus Planetarum characteribus inſignitas, tam triariis, quam lixis & calonibus contra quoſvis morbos internos offerunt, exhibendis. In his enim ut audaciſſimi, ſic profligatiſſimi ſunt: ita quidem ut Chirurgos ejusmodi caſtrenſes vel ſolos exſecrandos ſuis experimentis & ſecretis quemvis etiam numeroſum exercitum abſque telis & armis internecione delere poſſe, oculatus teſtis affirmare poſſim. Suffragatur mihi in Belgicis expeditionibus Foreſtus noſter: qui lib. 2. de feb. obſervat. 23. Scholio, de Angina pſeudo-chirurgorum caſtrenſium aſſerit: plures apud Belgas Chirurgorum imperitia, quam hoſtili gladio interemtos eſſe. Aſſerit & idem Langius civis noſter: qui eadem errata ſuo tempore in Ungaria admiſſa deplorat & explodit. Deplorat quidem, tantas clades Reipub. Chriſtianæ ab imperitis rerum temere illatas: explodit autem ſupinam tonſorum ſtoliditatem, & morem vulgatiſſimum: quem mordicus ad hodiernum usq; diem tanquam hereditario jure ab æq; imperitis per manus traditum retinuere, fricationem nempe & deterſionem linguæ ex febre ardente ad nigredinem & ſcabritiem deductæ. Hanc n. vel adhuc in morbo Ungarico & Cauſonide curan-

curando primas tenere firmiter ſtatuunt: ut vel hac ſola, absq; Medicorum (quibus ruditatis ſuæ conſcii obviam ire nunquam non erubeſcunt) cenſura quosvis vel lethales morbos ſe curaturos proclamare ſoleant. Eſt tamen, ſi non Medici, ſaltem Chriſtiani apud inſolens hominum genus, miſeris tonſoribus, pro virili patrocinari; errata ſæpius enormiter commiſſa tegendo potius, quam in lucem protrahendo. Hoc enim niſi pro re nata feciſſem ſæpius ad lora, compedes & tormenta fuiſſent abrepti ab illis, apud quos in bello bis peccare, ſecundum Eraſmum, non licet. Et ſane ingenue fateor: nunquam in contegendis errantium nævis meæ me æquanimitatis pœnituiſſe: Sic ut etiam hoc in caſu à Domino Comite, licet ſatis enormiter læſo, quod tempeſtive conceptas furias, ira noſtra ſimulata, contemperaſſem, gloriam & favorem retulerim. Sed jam ad Anabaptiſtas caſtrenſes tranſcendendum.

OBSERVATIO QUARTA.

Cum Anno 1599. *menſe Auguſto & Septembri ſatis otioſe partim pace illa lupina, quam Turcæ præ ſe ferebant, effaſcinati, partim ſtativarum commoditate ineſcati (nobis enim Danubius victum, jumentis feraciſſima regio pabulum abunde ſuppeditabat) circa Strigonium deſideremus: & ditiores, ob miram aëris ſerenitatem ferme in tentoriis helluarentur, pauperiores vero, ſomno diurno torpeſcentes, tempus ignavia tererent: paulatim crudorum humorum ſaburra congeſta, catarrhoſæ noxiaq; deſtillationes paulo poſt Epidemice quaſi graſſabantur. His cum inter plures alios primæ conditionis Juvenes, Generoſus Dominus Georgius à Kuffſtein Liber Baro Auſtriacus, Signifer illuſtris Comitis à Turri, &c. graviter affligeretur, materia paulum in cerebro diſcuſſa, tanta violentia collum cervicesq; occuparat: ut non, niſi erecto corpore, ſtare, jacere vero nul-*

lo modo poſſet. Accedebat dolor intolerabilis: cujus ſævitiæ rubedo, cervices undiq; Eryſipelatis inſtar occupans, patrocinabatur. Cum autem, vigiliis aſſiduis accedentibus periculum eſſet, ne faucibus materiæ effluxu eliſis, lethalis Angina, quæ jam ſæpius nos exagitarat, ſubſequeretur, quamprimum Enemate alvum, ſatis ſtrictam, emolliebamus: hinc aſſiduo Caſſiæ fiſtularis, cum difficulter deglutire poſſet, ſuctu, pulpam demittentes, & Syrup. de multiplici infuſione roſar: lambendo, paulatim transmiſſo, cum jam naturæ ſatisfactum videretur, ad venæ ſectionem & ſcarificationes nec non ad alia revellentia, pervenisſemus. Erat tunc cum multis aliis pſeudomedicaſtris etiam Moravus quidam Anabaptiſta in caſtris, homo, aut potius bellua, ſicut in religione, ita etiam in arte medendi, quam profitebatur, prorſus caudex. Iſte, lucro inhians, cum D. Baronem diuturnioribus tormentis lancinari audiviſſet, per Balneatorem autem, qui Domino à ſervitiis Chirurgicis erat, clam introductus fuiſſet, & primo ſtatim aſpectu ex ungue leonem agnoviſſet, paucis horis ſubſecuturam ſanitatem cum prolixis verbis pollicitus eſſet, jam ſub crepuſculo lac quoddam Virginis ex lythargyrio & aceto forti, nec non aliis conſtringentibus cervici vix decumbentis tepens admoverat. Circa mediam noctem, experrectus à tremebundo Balneatore, ægrum accedere cogor: quem ſane in ſatis afflicto ſtatu reperiebam. Undiq; enim faucibus coarctatis periculum ſuffocationis imminebat: Cum vix & ægre anhelitum traheret: & fauces, per ſe rubicundi coloris, qui tamen ſubtilioris ſanguinis prædominium argueret, ſubatro colore ſtrangulationis metum injiceret. Qui igitur imprudenter jam prorſus remoti fuerant, ad Gargariſmos ſatis emollientes recurrebamus: undiq; vero collum & cervices cataplaſmate, quod præſto erat, inunctionibus prius ex oleis convenientibus admotis, circumdabamus: quod cum per noctem, à ſedulo jam nimis balneatore, ſedulo factum eſſet, circa diluculum ex mediis faucibus auſpicato purulentæ ſaniei fætentisq; materiæ, magna copia erupit: quod cum ex apoſtemate feliciter rupto brevi aſſereremus, & hinc ſalu-

tem

tem certo polliceremur, gargariſmos tantum abſtergentes, & poſtea conglutinantes præſcribebamus. His autem cum ſedulo Dominus Baro tanquam piſcator ictus, inſtaret, brevi admodum non modo, Chriſto medicante, ad luctam usq; ſanitati fuit reſtitutus, ſed vultures Anabaptiſticos & lamias balneatrices, ſerio deteſtatus, inpoſterum cautius mercari didicit, me non ſolum honeſtis præmiis, ſed heroica etiam benevolentia proſequendo.

SCHOLIA.

De Balneatorib. & Catabaptiſtis caſtrenſibus.

CUm Pannoniæ contermini ſint Moravi, minime mirandum, ſi ex ſpelæis ſuis impuri Anabaptiſtæ, ad caſtra medicaturi, expatientur. Non deſunt enim, in Auſtria, & vicinis regionibus, interdum etiam non ex imis, qui, cum truncis & beſtiis illis, neſcio quam medendi peritiam aſſcribant, ipſimet cœci cœcis ſtrenue patrocinentur. Quas autem ſementis ſui aliquando meſſes reportent, magno ſuo malo ſæpius convincuntur. Vix enim ullum ab hiſce catharmatis curatum memini: qui non paulo poſt longe gravioribus morbis contabuerit, aut ab ipſo Jehovah quaſi vindice ad ſupplicium ſit protractus. Fuit in his magni nominis quidam: cujus ſura cum ex mediocris magnitudinis tormenti globo paulum attacta fuiſſet, nemini ex Chriſtianis, licet ad hoc vulnuſculum ſatis peritis, Chirurgis, ſed Katabaptiſtæ cuidam Niclsburgenſi concredebatur: quem tamen paulo poſt trajectum pila per medium caput impietatis hujus pœnas dediſſe conſtat. Idem de mancipiis Sathanæ Judæis eſto judicium: quibus ego, vivis nempe cerebri infernalis iconibus ſanitatem à Chriſtianis, ſi Diis placet, committi non admiror, ſed ceu Gorgone viſa, obſtupeſco. Nam & horum unus & alter, ut ſcilicet barathro ſentinæ caſtrenſis, ſordibus ex toto orbe conquiſitis abunde ſatisfieret, tandem ad mi-

lites confluxerat: quod tamen proditionis forſan magis, quam medelæ ratione ab hirudinibus Chriſtiani ſanguinis factitatum puto. Cur vero in inclyta etiam Vienna, Harpyis tam nocentibus in ſalutem hominum graſſari licitum ſit, demirarer: niſi quod ex Arabum & ceterorum Barbarorum libris, qui apud Hebræos modernos in uſu ſunt, artem medendi recte didiciſſe vulgo perſuaſum ſit. Cum tamen absq; ullis politiorum ſtudiorum fundamentis, Phyſices prorſus ignari ſint, & ex haris quaſi in SS. ὑγιείας penetralia, illotis manibus irrumpant, ampliſſimam facultatem Medicam illius auguſtiſſimæ Academiæ Auſtriacæ in furias ejusmodi coercendas invigilaturam ſperamus. Sed de his alias. Utrum Balneatorum quoq; ſcarificationes in caſtris neceſſariæ ſint, disquirebatur aliquando: cum rarus ſub Papilionibus balnearum, rarior thermarum, rariſſimus ſudatoriorum uſus eſſe ſoleat: quod ut ſane conceſſerim, ſic primis longe maximi belli Turcici annis plurimos, tempeſtivo ſcarificatu, ex ipſis Erebi faucibus, ereptos fuiſſe, ſumme conteſtor. Cum enim primo ad arma ventum fuiſſet, & veteranorum illorum Turcicorum phalanges, qui per plures annos in limitibus excubias egerant, in aciem producendæ eſſent, & ferro & viru noſtros oppugnare deſudaverant. Sagittas n. præſentiſſimo veneno infecerant: quod niſi circa vulnera ſcarificatione à ſauciis extractum fuiſſet, pauci, etiam vix illis intoxicatis miſſilibus leviter perſtricti, letho eripi potuiſſent. Etſi autem (Deo laus) maxima pars exercitus Mahometici, imo ipſe flos Turcici roboris tam diuturno bello, diverſisq; ſtragibus ſit demeſſus: ſic, ut rarus jam miſſilium venenatorum uſus apud imperitos rerum eſſe ſoleat: tamen in toto, eoq; ſatis numeroſo exercitu, unum & alterum Balneatorem ali poſſe non inconſultum eſſet: ut contra pro Chirurgis caſtrenſibus nec hos tantum vili pre-

precio conducendos, & illos paulo peritioribus præponendos cenſerem.

OBSERVATIO QUINTA.

L*Egionis Auſtriacæ, quæ trinis peditum millibus toto hoc decennio, quod ego ſciam, conſtitit, Dux, Generoſus Baro Georgius Andreas ab Hoffkirchen, &c. cum in oppugnatione Papæ Anno* 1597. *ſtrenui Ducis partes exſequeretur, & in cuniculis agendis tormentisq́; diſponendis per dies aliquot (in quintum uſq; diem procraſtinata expugnatione) defatigaretur, de raucedine & catharro parum conquerebatur. Hæ moleſtiæ, cum per biduum à vino ſubvectitio, quod turbidum & ſulphuratum eſſet, abſtineret; aquas autem radicibus liquirit: decoctas potaret; & Syrup. violato & jujubin. nonnunquam uteretur, mox quidem fuerunt abſterſæ: ſic tamen, ut in gravius naufragium paulo poſt immergeretur. Cum enim* 19. *Auguſti hora tertia pomeridiana duas, ex legione ſua, cohortes in arcem Papenſem introduxiſſet: Et infauſto omine pulvis tormentarius neſcio quo fato, atroci certe, turrim armamentarii ex imis fundamentis evulſam diſieciſſet: & ultra ter centum milites, miſere oppresſiſſet: ex hac ruina divinitus quidem Dominus Baro conſervatus fuit, ſed ita, ut violentisſimo pulveris pyrii afflatu parieti alliſus, vix vivus exportari potuerit: Cauſam hujus infortunii ex aliarum Nationum perjurio, plus quam Punico, emerſiſſe cenſeo: quo Turcas plurimos, ſub data fide ſecure Papa egreſſos, nequiter contrucidarant, aurum, ex viſceribus interemtorum ſedulo rimando exſcindentes. Conſtat enim, omnibus in Chriſtum credentibus, fidem, etiam hoſti ſæpius perfido datam, ſancte ſervandam eſſe: cum Turcæ, per ſpurcisſimi ſui Mahometis nomen, nihil aliud, quam Dæmonem patrem perjurorum, oppignorent. Sed hoc loco petulantia militaris inter tot, diverſas, duræq́; cervicis nationes coerceri non potuit: licet ſtrictis enſibus multi ex primoribus rabiem compeſcere niteren-*

 tur:

tur: & in his æger noſter. Hic poſtquam in tentorium reductus eſſet: ego vero in puncto, utpote longe abſens ad manus eſſe non poſſem: ut ſaltem ex myrothecio ſuo vel parvo corpore Caſtrenſi, ut vocant, aliquid ad anguſtias circa pectus diſcutiendas, depromeretur, ab aſtantibus poſtulavit. Magiſter aulicus Domini Baronis tunc erat Alexander Schmidt, &c. Gorlicenſis, mihi familiaris: Cum aliquando pulverem ex bolo Armeno & aliis paratum Dyſentericis conferre ex me audiſſet (decumbebat enim Viennæ & quidem graviter) illius ſesquidrachmam forte repertam, in vino Domino Baroni obtulit: quo aſſumto multo pejus, utpote ex re conſtringente, ſe habuit. Tandem ſuperveniens cum, quid commiſſum eſſet, à Sympatriota edoctus fuiſſem, Pulu. contra caſum ℥j. cum ℈ij. ſpermat. Ceti, poſtquam in aceto diſſolut. exhibuiſſem. & unguent. dialthæ. & roſat. ana. pectus inungi curaſſem, veſperi vero emulſionis infrigidantis cyathum unum & alterum exhibuiſſem; per noctem viribus paulo recollectis mane ſummo melius ſe habuit. Cum tamen ſputum cruentum rejiceret, pulticulis ex amilo & iride, quæ non deteſtabatur, bis vel ter uſus, etiam ab hoc Symptomate liberatus belliſſime per totum ſubſequentis Aeſtatis & Autumni tempus ſe habuit.

SCHOLIA.

De parvis Pharmacopoliolis vel myrothecis caſtrenſib9.

MOs inolevit apud ituros in Ungariam militatum: ut quivis, modo ſit paulo in re lautiore, minora ſecum campeſtria, ut vocant, corpora deportet: in quibus nonnunquam varias, contra profluvium, morbos Ungaricos, Anginas deniq; compoſitiones, interdum etiam maſſas Pillularum, & fortiter purgantes pulveres, nec non alias, ſolis affixis ſchedis cognoſcendas, mixturas, confarcinatas invenies. Laudandum culpandumve num ſit, merito ambigitur: cum pharmacum in ſolius Medici manu ſit tutiſſimum: & hoc genus hominum indiſcretim mixtis promiſcue

ſcue uti ſoleat. Conceſſero quidem ſumma dignam laude prudentiam: quæ toto orbe proclamato peſſimo aëri Ungarico, terræq; ſuo quaſi jure, Germanis hoſtili, obviam ire ſollicita eſt: mallem tamen hoc in ſimplicibus potius, quam compoſitis attentari. Ex gynecæis enim cum plerumq; tales officinulæ inſtrui ſoleant, diſpenſatricum languidulo judicio vix hominum ſanitatem vitamq; tuto concrediderim: præſertim cum nimiis titulorum ampullis thecæ nonnunquam ſuperbiant: nempe rubrarum gemmarum pulvere, aqua Carbunculi, Smaragdorum ſecreto, Margaritarum ſaccharo, & ſimilibus: quarum prima ſæpius Bolus, altera vinum ſublimatum, ſantalo tinctum, tertium ſuccus ruthæ, & quartus cornu Cervi præp. ſint, licet non videri velint. Accedit & hoc damni: quod plerumq; boni noſtri milites, his præſidiis freti, non prius Medicos ad ſe vocent: quam bis vel ter experimentorum ſuorum periculum fecerint. Purgationes præſertim vehementiores horum manibus excuti velim: quod eorundem intempeſtivo uſu nunquam non plus damni datum, quam boni effectum viderim. Graſſantur autem his plerumq; in ſervos & ſubditam familiam: quæ cum ſæpe ex male coctorum eduliorum ſaburra ſtomacho laboret, huc tanquam ad ſacram anchoram confugere cogitur. Habet n. & hoc infelicitas caſtrenſis peculiare: quod rariſſime carnes per ſe, ut doctiſſimus Jordanus, Procerum Moravorum Ordinarius in expeditione Anni 1566. recte obſervavit, bubulæ ſemper, craſſiſſimique ſucci, coctura peſſime tractentur, cum nunquam deſpumatæ ſordidis vaſis, cypriis & qualibuscunq; aquis ebullientes, prandii tempore, proprio tantum jure, famelicis obtrudi ſoleant: ſic, ut ſale, eoq; pauco excepto, ne mica quidem piperis & aliorum aromatum aſpergatur. Mallem igitur myrothecas potius ſecum ad caſtra, quam pharmaca, quo-

rum plane rudes ſunt, illi ſecum deportarent: qui familiam, eamque nonnunquam ſatis numeroſam, alere coguntur, uno & altero fruſtulo, ſi interdum donetur & in tempore, graviſſimis morbis obviam ituri. Cum enim præſertim, Sirio furente, ventres per ſe languidiores flacceſcant: & tamen ob æſtum animal, zythum potius, quam vinum appetat; nauſeæ, & ab hac ſubverſioni ſtomachi apud plures ſubveniri poſſet: quæ alias Epidemice fere in pleroſq; tyrannidem exercet. Et hæc de parvis illis, quæ vocant Campeſtria corpora, quibus plerumq; ſibi ſuisq; magnates proſpicere ſolent, paucis ſint diſcuſſa: nunc poſtquam de Pſeudomedicis, Pharmacopæis, Chirurgis, Balneatoribus & Officinis caſtrenſibus dictum ſit, ad ipſius morbi Ungarici tanquam præcipui ſubjecti luſtrum recta deſcendamus.

OBSERVATIO SEXTA.

De languore ſive morbo Hungarico, ex eſu carnis, male præparatæ.

Cum Anno 1598. *Theodoſia, Calendis Auguſti expugnata, per dies* 18. *in inferiore Ungaria vagari cogeremur, ſic quidem, ut illa expeditio ſatis ſane fauſta propter ſucceſſum, propter nos autem non victoriis, ſed pane victitantes, parum commoda ceſſerit, plurimi & in his magni nominis viri, partim ob defectum, partim ob parum coctos cibos morbis Ungaricis puris corripiebantur. Erat in his generoſus Dominus, Dominus Johannes Georgius de Kolonitſch, &c. Signifer Domini fratris Germani, Domini Sigfridi, &c. qui cum carnes non tam vulcano, quam ſole præuſtas, latranti ſtomacho obtruſiſſet, languorem Hungaricum, qui morbo Pannonico familiariſſimus, confeſtim ſentire cœpit. Cum n. tentoriis, rei culinariæ deſtinatis, deſtitueremur, ſub medio, eoq; ferventiſſimo ſole aſſaturæ coctuæve carnium vacare cogebamur. Nam cum tauris caſtra ſecuturis abunde pabula ſuppeterent, horum carnibus ſolis fere veſcebamur, ita quidem, ut ex mactatu adhuc calentes trementesq; carnes*

avi-

avidis ſæpe faucibus diſcerperentur; à ſole nonnunquam plus concalefacta, quam toſta. Hoc autem, quod vel ſolum languorem Pannonicum infligere poſſit, plurimis perſuaſum eſt, mihi vero plus ſatis expertum. Ad ſubverſiones equidem ſtomachi, caputq; vehementer diſturbandum, radios ſolares non ſentitos tantum, ſed devoratos quoq; plurimum poſſe multi milites apud Pannonas miſeris edocti modis tandem ſunt convicti. Inter convictos erat & hic noſter æger: qui cum per triduum cum nauſea, anorexia, ſingultu & dolore gravativo, licet non admodum vehementi, colluctatus fuiſſet, ſic tamen, ut nihil interim defunctionibus Equeſtribus, iisq; clarisſimis, remitteret, me ad ſe vocato, cum ex Domini generoſi relatu fomitem languoris cognoviſſem, vomitorio noſtro, de quo in Scholio Obſervat. 3. Decad. 2. ſentinam ocyus è ſtomacho exturbandam aſſerens, poſtquam quinq; ejusdem grana ex mulſo propinaſſem, vomitu ſatis facili & copioſo ſubſequente, cruditatem exhalans, materia promte in ſtomacho revellebatur, ita tamen, ut de dolore, in ſterno per vomitum excitato, conquereretur. Hujus rei cauſam cum perſcrutarer: inveni totum pectus ſuæ Magn. miraculi inſtar, non ex coſtis, ſed ex continuo ſolidoq; oſſe conſtare, tanti roboris, ut etiamſi pugno quam fieri poterat durisſimo ictu, ſua Magn. facile annuente, pulſaretur, nihil doloris eo in loco ſentiret. Cauſam tam ſtupendæ conformationis cum altius inquiſiviſſem, generoſæ ſuæ Magn. Dominam matrem, heroinam nullis unquam laudibus ſatis evehendam, jucundisſimo aſpectui cataphracti inhærentem hoc embryoni robur impresſiſſe cognovi, ſic tamen, ut propter minus perſpirabile pectus, ſemper fere Dominus noſter Patiens vel tuſſiculis conflictaretur, vel empyematibus (ex quo vix non Anno 1600. contabuiſſet) obnoxius eſſet. In dubium, hoc ſtupeſcendum Naturæ opus Anatomici forſan vocaverint: cum tamen ſua Magn. non modo ſuperſtes ſit, ſed etiam in conjugio vivat, ipſi veritati oculari fidem nunquam derogaverint. Etſi autem paulo poſt etiam dolor ille, quem ob vomitum ex muſculis thoracis, motu violentiore concusſis, & tamen osſi ſolidiori

diori ſtricte quaſi ſuperinductis commotum ſtatuebam: poſt inunctionem ex althæa evaneſceret: tamen cum febricula quædam ex diuturniore conſtipatione ſuboriri videretur, languore paululum in calorem transmutato, ſuam Magn. 21. *Auguſti hauſtu evacuativo, præmiſſa leni præparatione purgare volebamus. Hunc autem hauſtum cum pharmacopæi tyro, ob defectum luculentioris foci, vix tepidum in aurora exhibuiſſet, enormi paulo poſt vomitu, ſtomacho tepore pharmaci relaxato, ſubſequente, etſi phlegmatis viſcoſi, bilisq́; porraceæ plurimum rejiceretur, cum tamen per ſeceſſus operationem medicamenti maluiſſet, & ob languorem viribus ſatis proſtratus eſſet, pane toſto ex malvatico exhibito, & eodem caryophillor. pulvere conſperſo, cum jam nihil impuri in ventriculo relictum videretur, foris admoto, tumultus ventriculi tum compeſcuimus. Cum vero de Turcarum adventu altum eſſet ſilentium; ut ſua Magn. ad aërem, ex inſalubri in melius mutandum, paulum ad Caſtrum ferreum expatiaretur, auctores fuimus: quod etſi primo ægerrime admitteret, tandem tamen morem gerens, cum poſt unam & alteram hebdomaden viribus refocillandis inſeruiſſet, ad caſtra redux proſperrima deinde valetudine eſt uſus. Quid n. & quantum in languore Pannonico aëris mutatio poſſet, cum ex Anni* 1597. *propria experientia evidentisſime edoctus eſſem, (ſic quidem, ut ſimul cum primo aëris Auſtriaci attractu, omnes & illas, vix non lethales, anguſtias relaxatas, & languores diſcuſſos ſentirem) hoc genus medelæ in corpore hoc heroico obviis ulnis amplexabar.*

SCHOLIA.

PRiusquam languoris Pannonici συζυγίας excutiamus, prima ſtatim fronte ſemel pro ſemper definitionem ejusdem ob oculos ponemus. Eſt igitur LANGUOR PANNONICUS diſpoſitio ad morbum, ex rerum ſex non naturalium, vel prorſus mutato, vel ſiniſtro uſu & abuſu, primo homi-

minem ad neutram ſanitatem diſponens, tandem negligentia ſui ad mortem ſenſim deducens. Inter auctores autem, qui teterrimum luis Pannonicæ languorem ſcriptis ſunt perſecuti, non poſtremus eſt, doctiſſimus Thomas Jordanus qui tractatu I. φαινομένων peſtis, cap. 19. ex Anni 1566. infauſta expeditione Phyſicum caſtrenſem agens, ſtricte quidem, docte tamen, hujus virulenti mali rabiem delineat. Eſt etiam inter illos, qui patrio idiomate rem non infeliciter aggreſſi ſunt, non ultimus, Coradinus: cujus opuſculum ut Medicus ad caſtra digreſſurus aliquoties evolvat conſultum puto. Ante omnes tamen doctiſſimum, & omnibus numeris abſolutum opus de morbis Petechialibus clariſſimi Domini D. Octaviani Roboretæ Tridentini perlegendum conſulo: cum Petecchiæ municipali quaſi jure ſymptomatum συνδρομὴ languoribus Pannonicis patrocinetur. Apud Hungaros quidem ne literam ullam de hoc peſtifero malo typis excuſam vidi: quamvis Procerum infer. Ungariæ & Reipub. Sempronienſis Ordinarius ſedulo inquiſiverim. Quem enim ſolum ſibi Sympatriota ſuum & familiarem luem Pannonicam ſtatuunt, ſua lingua Tſchemmerle vocantes, ſolo allio, acèto piperaceo, & artubus, violentiore fricatione vix non excoriatis, leviſtici ſimul fruſtulis aliquot, commanſis, promte eradicari poſſe ſtatuunt: adeo ut hoc ſolo medelæ genere utentes, pauci lue Pannonica corripiantur, pauciores prorſus decumbere cogantur, pauciſſimi exſtinguantur. Et ſane conceſſerim: trium ſumme acrium rerum, piperis, nempe, allii & aceti forti odore, qui ex affrictu longe intenſior fit, putres & cerebro in hoc languore ſemper junctiſſimas fuligines diſcuti poſſe, ſic tamen, ut durum hoc pharmacorum genus apud alios, quam penes Hungaros, plus ſæpius nocuiſſe, quam profuiſſe expertus fuerim. Cum enim inter plures alios generoſus Dominus

Stard-

Stardnitzky, Nobilis Polonus, Coſacorum equeſtrium Dux, Anno 1599. ſatis intempeſtive hac frictione uſus eſſet, cum alias eduliis, aromatibus conditis vinoq; viveret, in tam lethalem febrem acutam & cauſonidem mox poſt frictiones incidit: ut ægerrime, nec niſi longo tempore poſt ſanitati reſtitui potuerit. Idem de reliquis plus quam mille dictum eſto, ſic ut exteris & tenerioribus gentibus durum hoc pharmacum æq; adverſum, ut ipſum morbum Ungaricum, tuto proclamem. Quod autem peculiaris & aliis morbis prorſus ἑτερογενὴς, cunctisq; Europæ terris præter Ungariam, hoſpes & advena ſit languor Pannonicus firmiter aſſero. Aſſero & illud: ſolum aërem Pannonicum, craſſum illum, & picea fuligine inviſcatum, pulmonibus puriori auræ aſſvetis, primo virus infundere, ſpiritibus intoxicatis cerebro quod fere arx & ſedes eſt morbi Ungarici infecto, hunc ipſum languorem introducere poſſe. Languor n. eſt per ſe, & non morbus: cum in initio actiones animali conſuetas, non prorſus interturbet, ſed paulatim ineptitudinem ad functiones inducens, non prius malitiam ſuam prodat, quam homine jam poſtrato, diuturno decubitu, aliunde quaſi mutuatis præſidiis, victor evadens ad mortem deducat. Hoc autem omnino intelligendum dico, de noſtro, jamq; caſtris familiari languore Ungarico, qui non minus, quam Hydronoſos Anglicus, & lues Gallica multum de ſua ſævitia remiſit: quam primo (ut nil de Anno 1566. ubi inſana prorſus rabie peſtis inſtar in omnes graſſatus eſt) etiam ab Anno 1593. ad 96. usque contagio & internecione attrociſſime exercuit. Solent enim tandem belluini iſti morborum furores, ut nullum violentum diuturnum, cicurari quaſi & miteſcere: quod etiam hoc in malo, negotio Martio & inaudita prius ſerie ultra duo luſtra continuata, militibus uſu venire certo addidicimus. Etſi enim pauci ex tyronibus ob inevi-

evitandas aeris eventilationes ab hac lue prorſus, primo præſertim anno, immunes eſſe ſoleant: tamen ni modo nimis in ſanitatem propriam, quodvis etiam ſumme noxium ingerendo, deſævierint, ſæpius etiam fortiter languentes cito ſatis evadunt. Gula enim & intemperantia militaris quovis Turca noſtratibus hoſtilior, etiam ad Pannonas usq; omnes comitatur, ſic ut plurimi pro deliciis Vngaricis damna necesque paciſcentur. In delitiis autem ſunt carnes bubulæ, ſucci craſſiſſimi, nec non juxta flumina ſtativa habentibus, piſcium, concoctioni æque contumatium, carnes: quod ex reſtagnantis Iſtri lacunis ſæpius, aut ex ipſis Danubii limoſis ripis extrahantur: ut de fugacium fructuum, vinorumque ſentinis, nihil dicamus. His autem omnibus nullum membrum plus, quam ipſum ſtomachum, primario affici, & orificium ventriculi ſub ſterno defatigari, lancinarique quis eſt, qui non videat. Et recte quidem eo loci renitentias, duriores in ipſo morbo Vngarico Jordanus obſervavit: cum ἀντίτυπον illud apud omnes fere longe minus lue correptos, evidenter ſenſui ſit obvium. Eſt igitur os ventriculi primario pars læſa, locus affectus: quem ſi vix molliter depreſſeris, cum ſumme ſenſile ſit, dolere plurimum, nonnihil & intumeſcere deprehendes. Adhoc malum exacerbandum, carnes tam bubulas, quam vervecinas, utraſq; æque noxias & inſalubres, has quidem adipe ſumme nocenti, illas ſuccorum craſſitie plurimum poſſe ita ſtatuo: niſi dextre præparentur, coquantur & denique maſticentur. Hæ autem conditiones quam præſcriptu faciles, ſed quam in caſtris obſervatu difficiles ſint, vel lixis & calonibus notum. Præparari quidem non poſſe, ſcilicet a mactatu refrigerari, probeq; elui, miles ſtatuet: qui ad hoc ſæpius aquas, ad illud, tempus ſemper deeſſe, elixationes vero vel aſſationes ob lignorum ſæpe defectum fieri non poſſe, maſticationi vero, quæ, ſi perfecta eſt, ſemicoctioni æqui-

E qui-

quiparatur, famelicos ventres vacare non poſſe dejeraverit. Nam quod etiam lautioris fortunæ Heroes in caſtris aliquando extrema pati cogantur, vel ex hoc generoſo noſtro Patiente, qui ex carnibus peſſime coctis in languorem Pannonicum perfectum incidit, liquido conſtat. Quid vero gregarius miles perferre cogatur, recordari quidem exhorreſco: cum ſupina præfectuum annonæ negligentia interdum, ſordes, & avaritia, plus quam Turcica feritas, miſero militi ſæpius obfuerit. Carnes quidem recens mactatorum boum tremulas adhuc animamq; ſpirantes, calore ſolo, utpote noſtro ſatis analogo, parum obeſſe quamvis noſter Jordanus cenſeat: cum tamen longe difficilioris concoctionis easdem eſſe concedat, ventres vero æſtivo tempore frigidisſimi ſint, ipſa quoq; natura in ſemicrudarum carnium diſcerptu prorſus abhorreat, liquet profecto, cum præſertim apud omnes fere malo granati, quem vocant, dolores, ſenſibileſq; durici es deprehendantur, hæc omnia ex ciborum, concoctu contumacium, retentis ſentinis, derivari. Secus enim ſi eſſet, non tantum ex vomitu tempeſtive irritato, levamen ſentirent: quo tamen ſolo plures languore Pannonico dexterrime curatos fuiſſe, ſcio. Quicunq; igitur apud Hungaros paulo ſecundiore ſanitate fruiſci concupiſcis: in hoc totus eſto: ut, quantum fieri posſit, carnibus, non adhuc crudis, vel ad ſolem potius, quam ignem toſtis, veſcaris: Sed necesſitate urgente, panis aliquot fruſtis vino delibutis, divæ Hygiææ potius, quam gulæ litare ſtudeas. Ita enim niſi ipſemet ſæpius feciſſem, fruſtra vitium in prima concoctione commisſum, in ſecunda vino meraciore exhauſto corrigere ſtuduiſſem. Et hæc de languore Pannonico ex eſu carnis ſiniſtre præparatæ concitato, dicta ſufficiant: accedamus ad idem malum, ex aquæ Vngaricæ paludoſæ hauſtibus, irritatum.

OB-

OBSERVATIO SEPTIMA.

CVm in obſidione Papenſi ſtagnantibus minusq́; ſalubribus aquis uteremur: Vnde deinde morborum Ilias repullulabat: Et priusquam recens effosſis fontibus penuriæ aquationis conſuleretur: Nobilisſimus, ſtrenuisſimusq́; Dux Janus à Steger Auſtriacus Signifer, neſcio ex qua lacuna Julep præparatum, ſiti enectus hauſiſſet, nidoroſis continuo ructibus ſtomachum tumultuari ſentiens, vomitu, quod conſultisſimum fuiſſet, ſentinam rejicere voluerat. Quod quidem cum fruſtra attentaſſet, ad crudæ materiæ concoctionem animum adjiciens, unum & alterum vini meracioris, ſed turbidi, cyathum cum ſuperbibiſſet, allii vero fruſtula tria commanſiſſet, languorem, quem vocant, Ungaricum incurrebat. Erat alias tum continentisſimus, tum modeſtisſimus: quas dotes, in caſtris carne ferina rariores, cum in iſto ætatis & fortunæ flore diligeremus, ad morbi propulſionem pro virili anhelabamus. Redolebant aquæ Papenſes tunc mephitim quandam, palato ſtomachoq́; ſumme inviſam: cum tamen æſtu torqueremur, vix illi etiam, qui rerum gnari erant à paludoſis lymphis ſe continere poterant. In his erant Italorum peditum cohortes: quæ ſub ſignis quadraginta, octo millium numerum excedebant: eratq́;, ut vere dicam, flos primo lectisſimus, qui tamen brevi poſt ſatis inhoneſte contabuit. Inhoneſte dico, quod ignobile genus mortis per morbos plus infamiæ apud heroicum genus militare, quam ſi fortiter pugnando in acie occumberetur, ſecum ferre certo ſciam. Hujus autem miſeriæ cauſam principio aquas, easq́; Pannonicas, & quidem ſtagnantes ac limoſas fuiſſe, ſciendum eſt: quas cum miles Italus, ſiti coactus, ſorbitaſſet, purisſimis antea aſſvetus, eo res rediit: ut numeroſa, & quavis laude digna phalanx, morbis ad nimiam raritatem deduceretur: ſic quidem, ut vix quingentos ex tanto numero Alpes retranſcendiſſe dicant, Marte paucis, plurimis vero morbis fœde confectis. Etſi autem huic malo noſtrates non usq́; adeo ſuccumberent: cum tamen primo indiſcretim ſummi & imi

De languore Pañonico, expoſtu aquæ inſalubris.

ex lacunis potare cogerentur, plurimorum morborum ſeminaria ſunt ſparſa: quæ quidem toto iſtius expeditionis decurſu magnâ militum ſtrage defloruerunt. Hic autem noſter Signifer cum ex aquæ iſtius Julepo (cujus uſus in caſtris, neſcio quam conveniens, frequentiſſimus certe) nauſeam incurriſſet: cur exhauſto inſuper vino, ſatis mero, cruditates illas paluſtres evincere nequiret, disquirendum venit. Demus enim vinum forte illud Ungaricum ad cruda concoquenda plurimum poſſe: quæ ſcilicet adhuc in ipſo ſtomacho detinentur: ſi tamen jam ad ſecundæ concoctionis organa ſint protruſa ſuper poto vino, malum quoq; exacerbari poſſe, cruditatibus, tanquam vehiculo ad graciliora vaſa deductis, per ſe liquet. Aquarum quidem, promiſcue omnium noxam, fætores, cruditates, limum, ſaburras deniq; receptiſſimo allii uſu Pannones corrigere ſolent, ita quidem; ut omnibus, ab hac ſola, Antidoto ad quodvis venenum tutiſſima, alexipharmaca mutuari poſſe certo ſibi perſuadeant. Allium igitur huic genti non minus in delitiis, non minus familiare, non minus quotidianum, quam panis ipſe: quin multos reperias, qui hoc tutius quam illo carendum cenſent. Erodit quidem ignea ſua qualitate quodvis crudum: utrum tamen Germanis, qui plerumq; bile plurimum conſarcinata ad caſtra deſcendunt, in Ungaria conducat crebra allii commeſtio, indagandum eſſet. Ad recens exhauſtarum undarum fuligines diſcutiendas uno & altero fruſtulo forſan impune uteris, tu, qui peregrinus es, & advena Pannoniæ: ſi tamen potu meraciore indulſeris, igni ignem addendo, plurimum aberraveris. In hoc cum quoque noſtrum ægrum erraſſe vidiſſem: quamprimum fortiore vomitivo exhibito, reſiduum & adhuc ventriculo inhærens malum proturbando, ſtomacho quidem conſului: ſic tamen, ut ex materia, jam ad hepar transmiſſa, languor diuturnus remaneret. Vix tamen eo res rediiſſet: ſi vino puriore primo ſtatim uti potuiſſet, aut ab allio, caput violenter petente, abſtinuiſſet. Vinum quidem quo omnes tum in caſtris, ſatis infauſto ſydere ad Papam metatis, uti cogebamur erat turbidum, feculentum & inſalubre. Turbidum quidem, quod ſuper

abſi-

abſides & currus devolutum ſatis etiam longinquo itinere terreſtri, limpidum eſſe, non poterat. Feculentum vero, quod caupones ex fecibus nummos mercaturi ſimul cum vino easdem vendebant: inſalubre autem, quod paludoſis, ſtomachoq; inviſis aquis ſanitatis publicæ violatores contemperaſſent. Hæc autem cum ſiti & laboribus caſtrenſibus exhauſtus miles ingurgitasſet, aquæ præſertim, ad potum commodæ, penuria laborans, non poterat non ad morbos & lues Pannonicas ſuccendendas, fomitem colligere. Nec enim etiam hic noſter Patiens recte prius convaleſcere potuit, licet uno & altero ſatis feliciter attentato, quam ad parvum tempus Auſtriæ redditus, ex aquis ſumme ſalubribus large potans, ſentinam languoris Pannonici prorſus eluiſſet. Etſi autem Anno 1599. *menſe Septembr. ex Danubii aqua hauriens in Diarrhæam ſatis diuturnam incidiſſet: tamen & ab hac tandem continentia ſane ſingulari, paucis adhibitis, iisque vulgaribus remediis, optime ſe habuit.*

SCHOLIA.

IN languoribus Pannonicis inducendis primas quoq; partes ſibi vendicant aquæ: quæ in Vngaria vel fluviales, nempe ex Danubio, Rabnitza, Grano, Eipola, Tibiſco, &c. vel fontanæ illæq; laudatisſimæ, juxta Vaciam & Veſprinium, vel paluſtres & ſtagnantes, ut hic juxta Papam, Albam regalem, Theodoſiam, Sempronium, Palottam, &c. inemtam quidem utilitatem cuivis elargiuntur, ſed ita: ut, quid diſtent æra lupinis, nemo non videat. Danubius quidem (qui recte, quod nubes & nebulas denſiſſimas exhalare ſoleat, Danſnubius vocatur) aqua ſua turbida limoſaq;, quæ omnem tranſparentiam prorſus excludit, ſuo jure gaudet: nec tamen Budam uſque latices illius inſalubres, potuiq; minus commodas confirmo: Si præſertim per temporis momentum ſubſederint. Quamvis enim ob putrem, pinguem, gle-

boſamq; tellurem, ad ripas præſertim, limo turbidiore coinquinetur: cum tamen motu violentiore in alveo decurrat, ex eodem hauſtas undas ſemper, etiam ad ſatietatem potas, parum obfuiſſe ſum expertus. Longe quidem craſſiores eſſe fontanis, quis eſt, qui neſciat? & tamen ſingularem hanc munificentiſſimi Dei prodigalitatem, quam noſtræ Europæ contra Dracones Orientales paterne elargitur, paulo ſanctius & circumſpectius habendam exiſtimarem. Ecquid non agimus: qui exercitus noſtros, data quaſi opera, ab hoc benigno conterraneo, promo condoque, ab hoc rerum omnium, ad uſum vitæ humanæ perneceſſariarum, placido ſubvectore, Danubio longius deducamus? cum ratio & experientia dictitet nobis: ab hac inæſtimabili belli commoditate ne latum quidem unguem abſcedendum: quam Turcæ obviis ulnis eſſent amplexuri. Non n. niſi prudentisſimo ſapientisſimo conditoris conſilio, factum credo: quod ſolus ex cunctis Europæ fluminibus Iſter verſus orientem tendat; Natura, in hoſtis filii Dei, prono decurſu ſuppetias ferente. Nam ut de aquationis commoditatibus (quæ quanti habendæ ſint, verbis exprimi nequit) nihil dicamus, vel hoc ſolum nullo auro æſtimari poteſt: quod parvo negotio caſtra trans & cis flumen transferri poſſint: quæ ſola commoditas quantum ad ſanitatem conſervandam poſſit, nemo cui ſani cerebri vel mica eſt, inficias iverit. Et ſane nulla alia re calamitoſam illam morbi Hungarici labem primo ad Comaronium plantatam, juxta Jaurinum incrementa ſumſiſſe, per Europam tandem diſſeminatam fuiſſe Anno 1566. certiſſime aſſero: quam quod uno eodemq; loco caſtra toto tempore hęſerint; parum profecto Medicorum caſtrenſium prudenti conſilio: niſi barbaries militaris ſalubre monentibus fidem derogaverit. Caſtra enim in Vngaria, ultra menſem nullibi uno in loco habenda, ni præſentes ſegnitiei pœnas dare voluerimus, omni-

omnibus auctor ſum: quod ſordibus caſtrenſibus nulla re magis, quam crebra ſtativarum mutatione obviam iri poſſit. Nec tamen ſua laude defraudandi ſunt Vngari noſtri: qui in metationibus caſtrorum munditiem obſervant longe ſtrictius, quam aliæ Nationes: in aquationibus quoq; circumſpectiores ſunt, non quaſuis lacunas & voragines exhaurientes: quod plerumq; noſtrates, ad potandum nati, poſthabitis ſordibus quibusvis, fauces, mox evanido liquore paulum delibutas reddentes, ſtrenue factitant, lambendi ſorbendiq; finem prius non facientes, quam cum ranis in Stygia palude circumnatent. Ad hos enim uſus coriaceas plerumque amphoras quiſque ſecum circumfert; plicabiles nonnulli: quibus ad primum aquarum aſpectum advolitantes, plus ſæpe cœli limique, quam undarum, ingurgitant. Aliter Vngari: qui propriis & inquilinis, ſatisq; cognitis aquis plus ſatis diffidentes, eas ad neceſſitatem raro, ad voluptatem nunquam, admittunt: ſic tamen, ut præmanſo allio malitiam cruditatuum correxerint: aut transcolatis, vel jam mundioribus uſi fuerint. Iſter autem, ut ante dictum, ſi non aliunde ingeſtis impuritatibus adulteretur, genuinis ſuis aquis ſic ſatis commodus, nec inſalubris eſt: & ſubdubito: utrum apud Pannonas, præſertim tantis hominum jumentorumq; turbis, de ſalubriore & commodiore aquatione proſpici poſſit: quam quæ ex Danubii gurgite abundanter promanat. Vtinam igitur poſthac nunquam ab hoc promtiſſimo Patrono, penu & cornucopiæ ſemet exercitus noſter abſtrahi divelliq; pateretur: cum plures ob ſeceſſiones à Danubio Annis 96. Hattwanum, 97. Papam, 98. Palottam verſus, aquarum inſalubrium hauſtibus enectos, quam toto fere decennio ab hoſtibus conciſos confirmare auſim. De reliquis enim Pannoniarum fluentis non eſt, quantum ego quidem obſervare potui, ut aliquid ejuſmodi prædicem vel pollicear: cum

Ra-

Rabnitza ſive Arabo, qui juxta Jaurinum Danubio miſcetur, ſatis profundo quidem gurgite peſtiferas aquas & ſumme graveolentas voluat: ſic quidem: ut ipſos etiam piſces cancroſque teterrimum fætorem coctos eructaſſe, non ſine nauſea recorder. Granum, paulo infra Strigonium ab Iſtro exceptus ex limo ſatis cœnoſo parum ſalubre ſpirat, nedum ut aquationi commodiori inſerviat. Idem de Eipola integro milliari ſatis magno ſemet in Danubium exonerante (contra omnes omnium Typographorum Vngariæ tabulás, in hoc valde mendoſas) judicatum eſto. Tibiſcum quidem ex Carpathiis jugis ſcaturigine ſaluberrimis rivulis adauctum, reliquis anteferendum ſcio: cum tamen ſolers ille Wernherus in ſuo, de mirabilibus aquis Pannoniæ, tractatu, mille carpiones pro unico floreno Vngarico vœniſſe ſcriptum reliquerit, Tibiſco ſc. extractos, piſcibus quam militi, ſalubriores illius fluminis aquas cenſerem. Huic tamen præ reliquis poſt Iſtrum primas in caſtris noſtris laute tractandis tribuerem: idque ut tandem, Agria, Solnock & Buda receptis, fiat Deum precor. Ad fontes porro quod attinet, tota quidem Vngaria eſt fontana, ſic, ut ubiq; locorum, tellure vix ad pedes duos, tresve rejecta ſcaturientes aquarum venulas reperias. His autem fontibus in univerſum caſtra ſtudent, adeo: ut etiam ad paucas horas quodam in loco commoraturi, fontes confeſtim effodere ſoleant. Cum enim nunquam fere fruſtra in ſcrobibus hiſce conterebrandis deſudent, ſingulis fere tentoriis ſingulos puteos adjunctos videris. Hi autem latices quod non ſemper ejusdem farinæ ſint, cum ex poris diverſarum terrarum, quæ interdum argillaceæ, gypſeæ, ſaxoſæ, limoſæq; ſunt, diverſas etiam qualitates acquirant, eſt in confeſſo. Hæc tamen milites noſtri nauci facientes ſtrenue fodere non dubitant; dummodo gelidis, licet turbidis, lymphis, fruantur. Lacus & ſtagna

quo-

quocꝫ Pannoniæ contemplemur: in his Papenſis: ex quo Patiens noſter Julep potarat, ob immotas valloq; incluſas aquas, etſi molendinum ſatis magnum circumrotet, ſatis inſalubris eſt: quod circumcirca planitiem quandam decliviorem ſortitus, paluſtribus, illisq; nullo motu vegetandis aquis incrementa ſumat. Quam vero noxiæ putresqꝫ ſint paludes Albaregalenſes, ego Anno 1598. plurimi ex militibus Anno 1601. ſatis ſunt experti. Vix enim labiis hauſtulum ex iſtis juncetis, rapidiſſimo æſtu conſulturus, admoveram: cum ſubito tam noxium, virulens, & putre quid ipſas nares afflavit: ut ſitim pati, quam tantum vulnus ſanitati infligere voluerim: cum reliqui laxis faucibus tam peſtiferos ſuccos ingurgitarent. Proclamamus idem de Theodoſienſis ſtagni plus quam nocentibus aquis: cujus hauſtum cum, eodem tempore, ob intolerabilem, penitusqꝫ flammeum fervorem à quodam equite emendicaſſem, tunc quidem ſatis impune tuli: cum tamen quarto anno poſt Sempronii febricula corriperer, hunc ipſum vaporem, quem ex hujus ſtagni potu tunc ſtomachum turbare ſenſeram, apud me evidentiſſime recruduiſſe, manifeſte ſenſi. Lacus Piſonius & Palottenſis uterq; piſcoſiſſimus, & amœniſſimus vix noſtram cenſuram ſubeunt: cum vix, aut nunquam, juxta hos caſtra metanda ſperem. Et hæc de Aquationibus caſtrenſibus, paucis dicta, ſufficiant: hoc tamen adjuncto: quod nullas fere præter Danubiales, ad coctionem, commodiores aquas ſim expertus: ſic quidem, ut vel parum ebullientibus Polypod. vel liquirit. radicibus & aniſi momento adjectis tuto & jucunde uti potuerim: has qualescunq; delicias fæculentis cereviſiis vinisq; turbidioribus; quibus jam obſervatione ſequenti imminemus, proponendo.

OBSERVATIO OCTAVA.

CUm in luſtratione equitum inferioris Auſtriæ, Dominus Signifer Domini Comitis à Turri, &c. Locum tenentis, ſatis ſanguineæ, ad bilem tamen inclinantis, temperaturæ, pro more receptiſſimo, cum commilitonibus potaſſet, nec in deſcenſu quidem donec infra Faciam à Turcis deſertam Anno 1596. *conſediſſemus, à poculis abſtinuiſſet, Sirio flagrante & equitando defatigatus, in tantam ſitim incidit: ut ſingulis diebus vix quinis, imo quod majus, ſenis conchiis eandem reſtinguere potuerit, Hanc vix non meræ bilis, congeſtionem, languorem Pannonicum ſæviſſimis accidentibus concomitatum ſequi, & quidem confeſtim, nemo mirabatur. Erant enim vina ſuperioris anni, etiam Auſtriaca ſatis generoſa. Ungarica vero cum quod per ſe fortiſſima, tum ſubvectionibus turbidiora in citrinam bilem eadem fere quantitate, qua aſſumta fuerant, convertebantur. Et habet fere hoc peculiare noſtra Auſtria: quod vinis, maxime puris & generoſioribus delectetur, dilutis aut ſubacidiuſculis parum lætata. Hoc autem ut ſobrie pitiſſantibus minime diſſuaſerim: Sic intemperantiſſime potantibus nosmet non connivere quilibet intelligit. Erat autem Patiens hic noſter, laudabili alias Procerum Auſtriacorum inſtituto, methodo* προφυλακτικὴ *tempore verno, tam purgatione, quam ſanguinis miſſione, integra ſanitate fruens, dextre quidem tractatus, ſic, ut niſi tantis ictibus corpus jam purum, ſatisq́; laudabilis conſtitutionis concuſſum fuiſſet, hunc tam gravem, non amplius languorem, ſed morbum perfecte Ungaricum, facile effugere potuiſſet. Satis enim apparebat, & ex familiarium ægroti relationibus palam fiebat: Naturam quidem non niſi violentiſſimis inſultibus tandem ſuccubuiſſe. Et erat quidem jam morbus in* ἀκμῇ: *Cum ad ægrum vocaremur: Symptomatum omnium vehementiſſimæ exacerbationis* συνδρομὴ *ad ſummam rabiem deducta. Sitiebat enim, ſatisq́; forti mentis abalienatione pervigil manebat: Lingua fauceſq́; clamoſa ſiti vexatæ areſcebant cum-*

que

que extra ſub Papilione, Turcica fervidiſſimo aëre foris, intrinſecus ardore cauſonico torqueremur: ut vel aëris tantum refrigerationi & quieti conſuleremus, ad navem Domini Comitis aſſeribus tectam, & in Danubio anchoris annexam, ægrum ſub crepuſculum deducebamus. Hic etſi prima nocte, alvum clyſtere laxante & refrigerante dum recluſiſſem, Laudano exhibito ſatis belle quieviſſet, & tamen ſequenti die caſtris, HattWanum verſus motis, adverſo flumine rates Strigonium remulco quaſi retraherentur, delirium forte incurrit. Cum tamen eadem navi cum ægro reaſcendens, & ad ſymptomata compeſcenda ſic ſatis inſtructus, ne ulterius peccaretur invigilarem, poſt biduum omnia longe mitiora reddita fuerunt: Sic, ut paulo poſt etiam equo, licet ex tam lethali malo languens, ad caſtra HattWanſia digrederetur. In his autem cum ſatis Tragicus caſus Domini patientis parentem, tormenti majoris impetu è medio ſuſtuliſſet, & ex luctu, triſtitia, & mœrore, eoq́ ſatis maximo, recidivam longe graviorem vereremur, ut paulum fortunæ cederet, & Auſtriam repeteret, auctor fui. Patiebatur tunc Dominus Doctor Egen, quem nunquam ſatis laudata Reſpublica Noribergenſis equitatui Franconico pro Phyſico adjunxerat, ex hemorrhoidibus cæcis dolores acerbiſſimos: quibus, ſi diutius in caſtris hæſiſſet, vix non contabuiſſet: hunc tali occaſione Domino patienti pro Comite adjungens, ut inſpector ſanitatis, & diætæ Domini Signiferi moderator eſſet, utriſq́ officium ſatis gratum præſtans, brevi Dominum Patientem recollectis viribus ſanitatem recuperaſſe audivi: quæ tamen primo ex tot vini meracioris conchiis, ſub cane & ante canem exhauſtis, ex luctu deinde in ſummum diſcrimen vocabatur.

SCHOLIA.

DUplicis voti de intemperantia caſtrenſi locuturus compos fieri peroptarem: quorum unum, ut ſancta frugalitas, quâ Turci tantopere commendantur, vallis & foſſis Chriſtianorum intercluderetur: alterum, ut helluationis

De languore Pänonico ex potu meracio re vini.

onis & crapulæ teterrimæ lues ad porcos Mahometicos redundaret. Nihil enim, noſtris quidem fructuoſius, hoſtibus nocentius, imprecari poſſem: quam ſi eadem intemperantia, qua vitæ ſtamina militibus noſtris computreſcunt, hyænis Turcicis diſſolverentur. Inter alias enim peſtes, quæ Chriſtianorum victoriis compedes injecerunt, non poſtremas ſibi vendicant helluationes diurnæ nocturnæq́; quibus antequam ad caſtra eatur, pleriq; ad nauſeam pergræcari ſolent. Nec enim auctorari, luſtrari militiæq; nomina dare conſueverunt milites: quam prius, per ſeſquimenſem nonnunquam, miſeris colonis oneri longe graviſſimo futuri gulæ Bacchoq; alienis impenſis ſtrenue litaverint. Tria hinc, ſi non plura metuenda mala emergunt: primo, quod miſeris agricolis illud, quod vix de demenſo ſuo comparſerint, temere liguriendo eripiatur: deinde quod ſuſpiriis & ejulatu miſerorum Deus ultor ad vindictam inflammetur: tandem, quod inſvetis antea delitiis ex alieno prodigaliſſimus miles, ita ſe, ſuosq́; pantices vino dapibusq́; infarcire ſoleat: ut ſemideſperata ſanitate plerumq; prima ſtatim fronte ad Ungaros deduci poſſit. Holobrunæ enim, quæ vicus eſt Auſtriæ, ſtratiotam unicum cum putido ſcorto & calone unico, ſedecim optimi vini amphoras quas vocant, ante luſtrum exhauſiſſe, & tamen, ſtipendio non ſatis arridente, nomen dare noluiſſe, ipſemet vidi. Quanta autem ingluvies, & quam inexplenda vorago, ſit hominum militarium intemperantia, ſi præſertim ſumtibus alienis ſuo jure gaudeat, præ reliquis Germaniæ terris Auſtria teſtis erit. Hæc enim ſola fere præter deſcenſus, tranſitus reditusque omnium exercituum, ſuos etiam manes ſatis ſuperque pati coacta fuit: cum de injuria quaſi facta miles quiritetur: niſi decusſatim per totam regionem deductus, ante luſtrationes miſeros colonos belluinis comeſſationibus vix non excoriaſſet.

Pati-

Patientius autem forſan has expilationes laturi eſſent : ſi, quos fructus aurum hoc Tholoſanum pleriſque lucrifaceret mecum præſentes vidiſſent. Plerumq; enim evenit: ut vix jam in primo limine Pannonas ſalutantes, crapulæ ſuæ pœnas dent meritiſſimas, morbis, penuria ſordibuſq; è medio ſublati. Hoc autem vel ſolo, quam luctuoſum acerbumque, nec non miſerabile vulnus, Reipubl. Chriſtianæ infligatur, deplorari potius, quam verbis exprimi poteſt. Miles enim non jam ſuus, ſed re, fama, fide, corpore, quin ipſa etiam anima, homagio præſtito, ſtipendioq; accepto, Sac. Cæſ. Maj. mancipatus, tam turpi & imbelli mortis genere proſtratus, plus Reipubl. Chriſtianæ, quam ſibi ad mactandum deſtinatus nocet. His tam fœdis & inhoneſtis fatis legiones primo ſtatim ad paucitatem deductas, parum profecto roboris in aciem ſiſtendas, habuiſſe ſæpius infremui: cujus rei & turpitudinis cum ſæpe oculatus teſtis, grande Pannoniæ damnum intuliſſe viderim, & tamen primo ex militari intemperantia maturatum ſentirem, remis veliſq; in hoc elaborandum eſſe dictitavi: ut ab hoc ſpontaneæ veſaniæ genere miles quam longiſſime arceretur: Legibus ſumtuariis rigore caſtrenſi ad ſtricte ſervandum promulgatis. Ex vini enim præſertim meracioris, aſſidua ingurgitatione bilem, eamq; ad languores Pannonicos inducendos ſumme appoſitam, copia nimirum & materia, coacervari nemo eſt, qui neſciat. Conſtat & illud: homines, antea vino non aſſuetos, longe magis ex aſſiduo Lyæi uſu inflammari, quam qui inter vineta cum vinis adoleverit. Experiebar hoc ipſemet ego: cum prius in Arctois regionibus, cereviſiis optimi ſucci, vinis tamen Gallicis, Hiſpanicis, iiſq; fortiſſimis aſſuetus, vix tamen ſine nauſea & abſque bilis manifeſta collectione ad Auſtrum delatus, vino tandem vivere didicerim: quod quidem longe moleſtius tuliſſem: niſi tempore Autumnali fructibus

bus horariis comeſtis, cruditate tempeſtiva, feruorem & tumultus vini mature compeſcuiſſem. Quid vero agat fex plerumque hominum, qui ſæpius à teneris aqua tantum aut viliſſimis potus quisquiliis vivens, ad incognitas Bacchi delitias ſiniſtro ſemper omine plenis greſſibus tranſilit, tunc demum belle ſecum actum putans: Si plurimo, & ex rapto parto, potu quotidie ad inſaniam inebriata fuerit. Ignorat tamen hæc Helleboro digna, turba: quantas his inſolitis cupediis, ſecuturorum morborum flammas ſuccendat: quod tunc demum (ſed nimis ſero ſæpius) deteſtantur: cum languore Pannonico flacceſcentes ex prius conſarcinatis bilioſis humoribus, appetitu penitus proſtrato, hoſte ne viſo quidem, ad Tartara lente deſcendere coguntur. Huic autem, ex immodico vini uſu maturato languori Pannonico, nulla re dexterius iveris obviam: quam ſi concitato vomitu, forti quidem, ſed non admodum moleſto, felleum illum amarorem ex ſtomacho deturbaveris. Quod quam feliciter, Elohah benedicente, in cunctis attentatum ſit, ex ſequentibus eluceſcet. Hæc enim de lue Hungarica ex meraciore potu vini exacerbata, dicta ſint: ad languorem Pannonicum, ex indignatione & animi commotionibus exortum, ventis vela demus.

OBSERVATIO NONA.

De languore Pañonico, ex variis animi pathematis.

Capitaneus unius vexilli pedeſtris, Georgius Ebenberger, ex Auſtriæ ſuperioris metropoli Lintzio, oriundus, vir plurimarum regionum peregrinationibus & fortitudine militari laude dignus, cum Anno 1599. *menſibus vernalibus & primis Aeſtivis, variis, plurimisq; curis, ſollicitudinibus, & ſimilibus animi commotionibus perenni fere viciſſitudine fuiſſet jactatus, partim livore, partim calumniis, partim rixis, nolens volens involveretur; interdum quoq; curas graviores mero diluere conare-*

navetur, ſatis mature, menſe Majo, in febrem acutam (erat enim exquiſite bilioſus, melancholia admixta) incidit. Hanc autem, cum alias ad pharmaca promtisſimus eſſet (ita ut attrocisſimis aliquando colicæ pasſionibus excarnificatus, Viennæ decumbens, doloris vehementia, & Medicorum hortatu compulſus, paucis horis 94 enemata lubenter admiſerit) poſtquam tempeſtiva venæ ſectione, & evacuatione bilis utriusq; facile eliminaſſemus, non modo luſtrationi interfuit: ſed Strigonium quoq; verſus ordines dextre deduxit. Illic autem, ut ſupra dictum, cum ſatis otioſe torpeſceremus, otii ſomniq; diurni impatiens, temporis fallendi cauſa, colluſoribus convocatis, ſæpe teſſeris ludens, in easdem animi perturbationes, peſtem vix tacite irrepentem, vix animadvertens, incidit. Fit enim plerumq; ut inter colludentes, præſertim plurimo ære in dubium vocato, multivariam affectus commoveantur, ſic, ut Oceano procellis deſpumante, affectus luſorii accommodari posſint. His igitur tempeſtatibus, cum & hic noſter Capitaneus, quem in carisſimis habebam, varie jactatus fuiſſet, tandem in languorem Pannonicum, ex ira, qua ſatis quidem irritatus inter ludendum excanduerat, incidit, bile prorſus efferveſcente, ita quidem, ut in hujus ferocia retundenda, plurimum nobis ſub Sirio fuerit deſudandum. Admittebat autem Clyſteres refrigerantes & bilem educentes: cumq; poſt rejectam vomitu ventriculi ſentinam, emulſionibus delectaretur, & ad ſomnum reconciliandum Laudano vero bis uſus fuiſſet, tunc quoq; etiam ad iter ſurſum verſus, noſtro conſilio inſtituendum, reſtitutus fuit. Ad aerem autem mutandum eo procliviores eramus: quod alias in caſtris otioſe deſidendum eſſet: & altum de hoſtibus ſilentium cuivis, ſanitatis cauſſa diſcedenti, patrocinaretur: turbæ vero tumultusq; caſtrenſes mentem, per ſe ad irarum flammas concitatisſimam, facile pathematum variorum moleſtiis, inquietaturi viderentur. Morem igitur cum nobis, recta monentibus, gesſiſſet, poſt aliquot hebdomades ſanus ſoſpesque ad caſtra regreſſus, incolumi ſemper ſanitate fruens ſequentibus annis in expugnatione & defenſione Peſthi ſtrenuum ſe

præ-

præbuit. Ad bilem enim cum proclivisſimus eſſet, conſuluimus: ut primo vere bis vel ter ſeſquidrachmis ſpec. Eleſcoph. in vino aſſumtis, biliosam, & irarum ſuſcitatricem, materiam evacuaret: quod cum hactenus exacte obſervaverit, toto hoc quadriennio longe ſedatiorem, minusq́; languoribus Pannonicis obnoxium inter arma perduraſſe, nuper admodum intellexi. Redarguendum eſſe Scammoneæ, cordi paulo infenſioris uſum crebriorem, aliquis dixerit: cui hoc reſponſum velim: Scammoneæ, modo corrigentibus præparata fuerit, uſum in viris militaribus ſuſpectum non eſſe debere: quod plerumque vegetioris ætatis flore vigentes, fortioribus evacuationibus ſint exercendi, aut ipſorum etiam cordium εὐκρασία halituoſo pharmacorum purgantium afflatu, multo minus quam bilis evacuandæ copia diſturbetur.

SCHOLIA.

PEculiare quiddam, & nuſquam fere alibi citius comparandum, CASTRA in ſe habent: quod ſcilicet nuſquam major bilis ad iras exacuendas expeditiſſimæ, copia coacervetur. Plurimas hujus rei cauſſas dari poſſe, nemo neſcit: excutiamus tamen unam & alteram. Nam & ipſemet, ut verum fatear, primis annis nondum ſcilicet duritie militari callum animo & corpori induens, tantos bilis utriuſque catachyſmos, ſenſim collectos; ſenſi: ut optime mecum actum putaſſem: ſi tantum integros dies noctesq́; ferro, cum quovis etiam, decertandum fuiſſet. Inſolitæ hujus feritatis rabiem cum tota natura deteſtarer; utpote meæ profeſſioni minime conſonam, mihi ipſi ſuccenſebam: deinde tamen quid ebullientis materiæ feruor, & cauſarum procatarcticarum συνδρομὴ ſecum ferret, mecum perpendens, pro viribus reluctabar: & tamen morbos certiſſimos tandem ſubſecuturos, non fruſtra nec errans, verebar. Cum iisdem n. furiarum laryis cum plures ex ægris noſtris antequam, graviſſimis

mis morbis corriperentur, luctatos fuiſſe audirem, vix me impune laturum ſperare audebam. Graſſatur quidem immanis, & plusquam inhumana quædam barbaries in caſtris, plurimis quotidie fere ad furcam, vel ob leve momentum abreptis, decollatis, palis affixis, harpagonibus interdum injectis: ſariſſarum & macherarum fulgores ubique coruſcant: aures tormentorum fragoribus indies pulſantur: fætore ſordibuſq; nares intoxicantur: guſtus autem ob miras ſæpius diætæ, modo prodigaliſſimæ, modo tenaciſſimæ, nunquam mediocris, metamorphoſes, omnibus injuriis expoſitus eſt: Senſuum tamen omnium miſerias, tactus, totius corporis ſolertisſimus index, perferre videtur. Non enim tantum dure cubando, ſoles, imbres, frigora perferendo, extrema quæq; pati cogitur: Sed die noctuq;, cum beſtiolis quoq; illis non tam minutis, quam moleſtis, in procinctu ſtare, manuſque conferre cogitur. In his ſunt culices, Goltzſchen vocati, muſcarum turpisſimi, & punctim feriendo moleſtisſimi: qui præſertim noctu, tempore æſtivo, quaſcunque partes corporis attigerint, mordacisſimis aculeis perterebrant: faciem ſæpe pluribus, iiſque rubentibus efflorescentiis deturpantes. Harum viperarum morſus quam infeſti inviſique ſint, nullus niſi expertus, facile crediderit: hoc certo ſcio: diris & imprecationibus hanc peſtem ſæpe ſumme excandeſcentes milites devovere. Accedunt his teterrimi, vixque ob nauſeam nomine digni, pediculi, ad bilem coacervandam ſoli fere continuis deambulationibus & ſuctionibus ſatis futuri. Fruſtra enim, primis præſertim annis, horum nebulonum ictus effugeris: cum jure quaſi municipali in caſtris gaudeant. Tantus enim tepor, mollities & craſſities eſt aeris illius: ut ſi linteolum aqua, ſtagnanti præſertim, lotum ad ſolem ſiccandum expoſueris, totum vermibus Syllanis ſcaturire videris. Non eſt igitur, quod his aſſiduis futuris comiti-

mitibus ſociiſq; temet ſubtracturum ſperes: cum vel ex ipſo corporis madore promte progenerentur. Putabam quidem primo, novis ſemper induſiis linteis has peſtes eludi poſſe: quæ tamen reipſa plures attraxiſſe, nedum profligasſe, ſum expertus. Et hanc quidem φθειρίασιν Magis Ægyptiis olim prolatu impoſſibilem, hiſce in locis à quovis facile producendam, in coacervatione bilis plurimum poſſe egregie expertus ſum. Quoties enim ab his turpiſſimis viliſſimiſque beſtiolis compungebar, toties dentibus & anima infrendens, omnes irarum habenas me laxaſſe, vel adhuc non ſine bile, reminiſcor. Idem reliquis noſtris ſemiſathaniſatis ſanguinis cruore deſpumantiſſimis propugnatoribus cum ſæpius uſu veniſſe, certo ſim expertus, juſto Dei judicio evenire credo: ut per has deſpectiſſimas quaſi ſanguiſugas, tam miſeræ plebeculæ ruſticæ ſudores, ſæpius plus æquo devorati, retrahantur, quam criſtæ Thraſonicæ, quibus plerique ad rabiem uſque ſuperbiunt, infringantur. Fruſtra enim contra hos ſenis pedibus armatos Turcas chalybe ferroq; temet incluſeris: ſic quidem, ut animis, aſſiduis irarum flammis exæſtuantibus, etiam ab hoc turpiſſimo viliſſimoq; verme bilis copia convaſata, plures ſcintillas languoris Pannonici, quo tandem deflagarunt, primo ſufflaviſſe mihi perſuadeam. Vt taceam, quantis blaſphemiarum plauſtris divina Majeſtas à plurimis violetur: qui fœdiſſimis his beſtiolis ſuccumbentes, ad mortem uſq; jam proſtrati perpetuis morſibus excarnificantur. Vidi enim apud plures ex grege milites, horrendo ſane deteſtandoque ſpectaculo, eo uſq; hanc peſtem progreſſam fuiſſe: ut cervicibus à tergo eroſis, & carne ad unum & alterum digitum non jam excoriata, ſed excavata, miſerrime diſcerpti cum gemitu & fremitu vitam finirent. Et hæc & alia Tragicæ calamitatis exempla, quotidie in caſtris obvia, ad varios animi motus inducendos plurimum

poſſe,

poſſe, nemo ſanæ mentis inficias iverit: quamvis quosdam, cautibus ſaxiſque duriores, non homines, ſed belluas tam truculentis & ſpectatu luctuoſis Theatris citius ad cachinnos, quam ad commiſerationes animis commotos fuiſſe non raro viderim. Et hæc de languore Pannonico, ex animi affectibus inducto, dicta ſufficiant: ad aeris Pannonici injurias ventilandas calamum deſtringamus.

OBSERVATIO DECIMA.

De languore Pañonico, ex aere, decubitu in terra, & ſimilibus

DEcadi Auſtriacæ colophona impoſiturus memet, non tanquam Medicum, ſed tanquam lethaliter ægrum ſubjunxi: cum quod Sereniſſimæ domui Auſtriacæ ſubditus, natus & juratus ſim: tum quod laudatiſſimorum Ordinum inferioris Auſtriæ per plures annos, magnanimitatem, vigilantiam, & prudentiam luculenter perſpexerim. Etſi enim Anno 1595. *Strigonio recuperata, ad caſtra digredi, ſalariumq; Medicum (quod quanto ſudore periculisq; promerendum eſſet, facile judicare poteram) aggredi vererer, priusquam penſitatis omnibus pluribusq; morbis, qui ex Ungaria reverſis, Viennæ & alibi familiares erant, penitus inſpectis, utrum oneri ferendo eſſem, mecum perpendiſſem: tamen cum ſtipendio Imperali à Sereniſſimis Archiducibus Anno* 96. *ad caſtra una cum Collega, menſe Julio, ablegatus discesſiſſem, praxiq; militari pro virili invigilaſſem; reipſa expertus ſum: quamvis, etiam Adamantinam ſanitatem tyrannide mutationis inſolitæ flecti confringiq; poſſe. Torquebamur, ut ſupra dictum, illa æſtate Sirio, non fervente, ſed candente: qui mihi, cum ſiccioris temperamenti* δυσκρασίᾳ *colluctanti, plurimum negotii faciebat. Cumque ob decumbentium multitudinem in caſtris late metatis hinc inde curſitandum equitandumve foret: qui quidem labor in obſidione Haduvanenſi duplicabatur: Collega ob ſordium caſtrenſium, & intempeſtivum allii uſum, ut in ſcholiis latius, militiam deſerente, ſumma etiam modo caritate, modo vilitate annonæ, accedente;*

te, mœrore animi ex immanitate in ægros, uſitata adaucto, paulatim fomitem morbi vere Vngarici conquirebam: qui deinde tanta virulentia deflagravit: ut propria experientia usq; ad fauces mortis deductus, aliis hoc modo correptis, ſerio compati, & quinam peſti tam malignæ obviam eundum eſſet, indagare didicerim. Satis quidem honeſto quinquaginta florenorum ſtipendio menſtruo Sac. Cæſ. Majeſt. binos ſemper Medicos caſtrenſes ſanitati publicæ asſignare hactenus cenſuerit, ſic quidem: ut, medice vivendo, ſumtus utcunq; ferri poſſent: cum tamen ſanitas & libertas res ſint inæſtimabiles, lucri cauſſa nunquam, Chriſtiano zelo ſemper, deſcendendum exiſtimem. Aerem enim ambientem, cumque Vngaricum, tota natura tibi è diametro contrarium, & hoſtilem, inviſumq; primo cum deſcenderis inde à finibus Auſtriæ certo experieris. Me quidem, qui ſemper in Arctoo, eoq; purisſimo, aere victitaram, quam primo ſtatim afflatu hoſtiliter exceperit, cum præſertim nebuloſo & impuro aere Comarrhonium delatus, ex cœnoſis congeſtorum alveis nebulas imbibens, pulmones inviſcaſſem, probe memini: quam labem, primo ſtatim limine aſperſam, nunquam deinde abſtergere potui. Duobus n. ſemper cum extremis aer Pannonicus colluctatur, aut extrema crasſitie, nocte & nebulis inſpiſſatus: aut iisdem penitus discusſis, extrema ſubtilitate, hac, æque ut illa, ſuſpectisſimis. Quos enim primò tanquam novacula diſſectos pulmones totis arteriolis recluſit aer ſubtilior: hos paulo poſt crasſius impuriusq; viſcum patentibus vaſis infarciendo conſpurcat. Hæc autem ab uno extremo ad aliud vicisſitudo asſidua, quantam non aſſuetis vim inferat, concedere, quam denuo experiri, malo. Mihi quidem ex primo ſtatim aeris contrarii attractu fomitem ſequentis morbi collectum fuiſſe jure quodam ſuſpicabar: cum vero humi decumbens, tetras etiam, & cerebro ſumme noxias, fuligines ex putreſcentibus glebis attrahendas, ſuperſorbere cogerer, luem Pannonicam illam famoſam, ſubſecuturam, & quidem tota ſymptomatum gravisſimorum ſerie concomitatam, certo præſagiebam. Non deerat quidem papilio, ſive tentorium, ſatis capax, & ex optima lini cannabiſque

biſque textura paratum (quippe quod Anno 1566. Phyſicis aulicis & caſtrenſibus deſtinatum fuerat, mihi ex ædibus Havvenſteinianæis munifice oblatum) ſic ut ab externis aeris injuriis ſatis defenderer. Et tamen cum ſub eodem tecto putri ſolo affixus, inter vapores tetros pernoctare cogerer: & adhuc hoſpes, barbariei caſtrenſis rudis, erroribus externis obviam ire nondum didiciſſem, plenis greſſibus ad languores Pannonicos, in funeſtum tandem morbum terminandos, deferebar. Natura autem, per ſe ſatis adhuc ſibi conſtans & fortis, levioribus inſultibus non facile manus dabat, ſic ut usq; ad finem Octobris utcunq; valens, munia, eaq; moleſtiſſima, obire poſſem: paulatim tamen malum, incrementa ſumens, ad purum putum morbum Ungaricum deducebat. Nec enim impenſe calebam: nec nimium ſitiebam: nec ſcabritie linguæ, nec eroſione oris ventriculi excruciabar: cerebrum tamen cum lethali totius corporis languore plus, quam verbis effari poteſt, phantaſia prorſus diſturbata, lancinabatur. Vigiliæ perpetuæ aut ipſis vigiliis intranquillior ſopor, concomitabantur: quæ ob infelicem illum receptum Kereſtinianæum, quo 26. Octobr. non longe nuper à nobis erepta Agria domum revertebamur, plurimum exaggerabantur. Cum enim pluribus diebus per montana ſuperioris Vngariæ revertentes, modo ſub dio, modo ſub caſis deſertis pernoctare cogeremur, & victu duriſſimo, qui modo ex ſemicruda aprugna vel ſuilla, modo ex turbidiſſimo muſto ſtagnisq; conſtabat, ſtomachus quotidie gravaretur, vix tandem vivus novam domum, quod Neuheuſſel *noſtri vocant, perveniebam. Sentiens autem me indies in deterius vergere, cum abſq; ſaluberrimi aëris Auſtriaci, ad quem unice anhelabam, reſpiratu, ſanitatem nullo modo reſarciri poſſe præviderem, tandem 7. Novembr. Viennam deferebar: ubi morbo noſtro Ungarico, requiſitis omnibus Symptomatibus abunde ſatis fiebat; Sic quidem, ut absq; divina clementia, & fidiſſimæ meæ Conjugis, nec non elegantiſſimi Medici Domini D. Andreæ Ebersdorfferi, quem honoris cauſa nomino, & æternum nominabo, præſentiſſimo conſilio & auxilio nunquam elapſus fuiſſem. Succedebat e-*

nim continua ſerie peſtis peſti, adeo ut ne unum quidem morbis Ungaricis familiare, ſymptoma, tyrannide ſua memet non exercuiſſe ſenſerim. A ſummo enim vertice ad imos usq; talos, nil niſi morbus Ungaricus eram, ita ut vix uno, ex ſævioribus accidentibus, ſuperato, nova confeſtim lues ſubſequeretur. Tandem igitur tantæ malorum myriadi nolens volens ſuccubuiſſem: niſi natura hæmorrhoides, antea non animadverſas, re vix non deſperata, ſponte recluſiſſet: quæ quidem ſaluberrimo defluxu usq; adeo ſemet exornavere: ut quatuor libris ſanguinis nigerrimi, feculenti & melancholici rejectis, tunc primum paulatim, Diæta ſelectiſſima accedente, reſpirare cœperim. Tanquam enim totus morbus ad hunc ſcopum collimaſſet, eo, vel leviter tacto, ſenſim valedicebat. Hanc autem exuſti præaſſatique ſanguinis copiam, tantam hinc præſertim primo conglomeratam fuiſſe recordabar: quod menſibus æſtivis, ob motum, rarioribus veſtibus uti coactus, in tergo, ſole ardentiſſimo, ſi non toſtus & aſſatus, ad maciem tamen usque excoctus fuerim, ſic, ut niſi renes & ſpinam dorſi, inunctione roſata camphorata ſæpius reſtinxiſſem, tam diu incendii candentis flammas non remoratus fuiſſem. Mæror quoq; qui (cum quod prima fronte officinis caſtrenſibus, de quibus ſupra, fidem habens, parum feliciter ſuccederet: tum quod illam in ægros veſaniam, qua erga miſeros milites auſpicabatur, tandem in nervum erupturam præviderem) non poterat non perennis longeque maximus eſſe, ad ſanguinis feculenti colluviem plurimum fecerat, ſic, ut inſtar candentis ferri lamina lumbos longe ante cinctus ingredi viderer. Accedebat & hoc: quod plurimos quotidie diverſiſſimorum inceſſuum equos, modo ſuccurſores, modo veredos, conſcendere cogerer: qui quidem labor ſolus, toto corpore violentiſſime commoto concuſſoque memet exoſſare potuiſſet. Ex nulla tamen cauſſa externa, magisq; urgente morbum hunc pure Ungaricum, primo radices egiſſe, ſuccreviſſe poſtea, tandem fructus ſolitos protuliſſe ſtatuo: quam ex aeris Pannonici, mihiq;, homini Germano inviſiſſimi ſummeq; noxii attractu nocentiſſimo: quod ut cui-

vis liqueat, ad Scholion pervenientes, paulo pleniore disquiſitione rem ad radium protrahamus.

SCHOLIA.

WOlffgangus Lazius, regius Hiſtoricus & Medicus, fide digniſſima recenſione, qua res contra Turcas Anno 1556. geſtas complectitur, Hungariam regionem Germanis ſemper adverſiſſimam, cœlum vero corporibus eorundem adverſiſſimum, manifeſte libereq; conteſtatur: & vere. Excuſſis enim omnibus fere Hungaricarum expeditionum hiſtoriis, & ſecretiore valetudinis utriuſque labyrintho recluſo, rei Medicæ potius, quam Martis armamentaria recludenda fuiſſe, ex eventu luctuoſiore omnibus innotuit. Aerem quidem Pannonicum Læſtrigonas Turcicos benignius, quam nos Germanos hactenus foviſſe cognovimus. Cur enim non eodem ſucceſſu, eademq; fortitudine noſtrates, qui fama & armis totum orbem impleverunt, barbari periurique hoſtis audaciam retunderent: niſi ſanitati Germanorum contraria locorum & aeris diſpoſitio, medium quoq; victoriæ curſum inhiberet. Nam cum è Germaniæ regionibus, Auſtrina aeris intemperies ſummis Alpium jugis, ſi non excludatur, plurimum tamen immutetur: Si ad Pannonas quaſi ad zonam torridam, & in aliud clima miles deducetur; reſolutione profecto ſubitanea, eo citius concidet: quo magis flagrans vividæ juventutis calor externi caloris occurſu incandeſcens exæſtuaverit. Liberrimo enim tractu à Cyrænaicis & transmarinis Africæ oris Pannonas Auſter & Libanotus perflant, longe ſane contrariis corporum diſpoſitionibus inductis: quam quos ab Aquilonis & ſaluberrimis ventis Germani mutuaverint. Minime itaq; mirum: Si nimis ancipiti eventu cum hoſte digladiamur: quem Aſiatica mollities non modo non exarmat, ſed ad perferendos æſtus, aeriſq; ſibi

ſibi familiarem teporem promtiorem reddit. Quod ſi quis indomitum priſcorum Hunnorum robur, vaſtaſq; moles, & hodiernam ad arma promtitudinem nos redarguere exæſtimaverit: is neq; conſuetudinis vim, neq; πυειζοόντων privilegia, ſecum diſquiſiverit. Neque vero magnopere noſtras rationes infringunt illa, quæ propter expeditiones bellicas Germanorum ad Gallos in hæc aſſerta contorquebuntur: cum ea duplici ratione defendenda opinemur. Concedimus n. auſpiciis Wolffgangi Palatini ad Gallos deductum exercitum (ut Anno 1570. per Auguſtum ex Galliis copias reductas Germanorum omnibus aliis expeditionibus præferamus) non modo Francos & Lemovicas, ſed & Pictos, Xantonas, Avernos, Quercetanos, Tholoſates, Ocritanos, Vivariates, Bourbonios, omnes denique Galliæ populos adiiſſe: per medias hoſtium acies ſæpius perrupiſſe, ſic tamen: ut ex equitum viginti octo turmis, vix undecim, ex octo peditum millibus perpauci Mortis & Martis ſævitiam effugerint. Negamus autem, Galliæ Pannoniarumq; aerem, unius ejusdemque qualitatis eſſe: cum rhombi ſui extremitate, ut Bodinus lib. 6. de Repub. cap. 2. contra quadruplatorem quendam demonſtrat, Alpium Pyrenæorumque jugis Auſtris interceptos ad Delphinatum & Narbonenſes difficulter illos admittat. Boreales vero, Circios & Cauros liberrimo tractu ab Oceano recipiat: tantum quidem mutationis periculoſæ Germanis ſubtractura: quantum Pannonia ad fovendos Auſtros laxiores ſinus pandit. Eſt autem in confeſſo: duplicem ob cauſſam aerem, ad tuendam proſperam ſanitatem, perneceſſarium: cum ut æſtuans, cordis aſſiduo & indefeſſo motu agitati, calor frigidi attractione contemperet: tum ut ſuperfluitates halituoſæ, ſpiritus & calorem innatum tepore immodico moleſtantes expulſiones ventilatæ protrudantur. Quod enim ob perpetuum, nullaq; arte inhibendum naturæ fluorem

rem calor innatus & ſpiritus aëre nutriente, conſervante & temperante egeant, eſt in confeſſo. Nam quamvis Philoſophus lib. de ſenſu & ſenſilibus cap.5. Pythagoræos erroris arguens, nobis non ſuffragetur: tamen Hippocrates, Galenus & Arabes tanto conſenſu paradoxon Philoſophi diſcuſſerunt: ut rem in dubium vocare nemo auſit. Conſtat & illud: intenſiorem caloris æſtum refrigeratione majore indigere: quam in florenti & conſtanti ætate militari, quæ nimirum ob calorem, qui inſanis, in florentibus ætate, in Germanis deniq; non poteſt non ſummus eſſe, contemperationem aſſiduam flagitet. Concludimus ergo ad militum Germanorum, cum ſucceſſu apud Hungaros decertaturorum, ſanitatem, nihil magis neceſſarium aëre: qui tamen quam iisdem noxius, inſalubris, hoſtilis ſit, paucis demonſtremus. Cum enim clivoſis Carpathii montis rupibus obice non parum obfuturo ſanitati, Germanorum familiares ventos excludi ſubinnuimus: tamdiu cum gemino, ſanitatis nempe & ſalutis, hoſte Germanos digladiaturos conſtat: quamdiu radicibus ſuis, quæ æternæ ſunt, montes illi inhæſerint. Crebræ autem paluſtrium regionum uligines nunquam non ſuſpectæ ſunt. Quid vero Pannoniis aquoſius? apud quos cum pleriq. amnium vix declivibus montium jugis præcipitentur, paulum nimbis denſioribus adaucti non poſſunt non alveos ſuos deſerendo magnas aquæ moles circumjacentibus locis infundere: quæ limoſis voraginibus excepta noxium certe, Germanisq; plane inimicum, putorem exhalabunt. Iſtri autem cataractas, nullaq; vi comprimendam violentiam, ne attingamus quidem: cum imperii impatiens quoquo velit expatietur, tanto paſſim undarum diluvio agros & planitiem obruens: ut aſſidua, mephiti militibus noſtris aëra, viatoribus itinera non parum incommoda, reddere ſoleat. Hanc autem ſubſtantialis malignitatis

aëris Pannonici peſtem non parum quoq; accidentia longe teterrima exaggerant; SORDES nempe & impuritas caſtrenſis; quæ cum extrema ſemper ſit, deplorari potius, quam corrigi poſſe videtur. Quoties enim de fœdisſimis ſpurcisſimiſq; ſordibus, quibus plerumq; caſtra velut altisſimo cœno, obruta & ſubmerſa ſunt, cogito: toties ad Augiæ ſtabulum commovendum non tantum cohorreſco: ſed etiam extremæ noſtræ cœcitatis, quæ communem Chriſtianorum ſalutem ad præcipitium recta deducit, me vere pudet. Quam n. miles noſter, data quaſi opera, ſordibus & immunditie aerem, per ſe ſatis ſuſpectum conſpurcare geſtiat, abſit, ut commemorem: cum omnes illi, qui caſtrorum ſpurcitiem vel per tranſennam inſpexerunt, ſupinam militum ſocordiam vel negligentiam ſerio deteſtentur. In ipſis n. caſtris, imo, ut mali labes eo longius graſſetur, inter omnes fere tentoriorum intercapedines non tantum ſordes, ſed cadavera quoq; jumentorum hominumq; nonnunquam videas; & videndo excandeſcas. Laudabilem vero SS. Scripturæ munditiem, quam Spiritus S. nobis, qui benedictioni ſucceſſimus, non temere denuntiari juſſit: ſagacem etiam Romanorum providentiam, quorum vigor Martius munditie caſtrenſi adeo conſenuit: ut veteranorum venerandos canos galeis contegi Roma nunquam non viderit: cum Tyronum noſtrorum valentes lacertos humo contegi, & in ipſo ætatis flore contumulari videamus. Hi tamen ſi pro aris & focis ſtrenue pugnando, vel nervos periuri hoſtis Turcæ præcidiſſent; vel pulcherrima, plenaq; gloriæ morte ſuccubuiſſent, momentaneam caducæ vitæ uſuram æternitate abunde compenſaſſent: nunc inermi mortis genere turmatim abrepti negligentiam ſanitatis propriæ velamine honeſtiore, quam quod propter patriam cœlum mutaverint, conveſtire non poſſunt. Non. n. eo milites ſelecti conquiruntur: ut apud Pannonas,

hoſte

hoſte ne viſo quidem, peſtiferis fætoribus elangueſcant; & è medio tollantur: næ illa Sac. Cæſ. Maj. ſereniſſimorum Archiducum, nec non omnium Imperii ordinum mens adeo non eſt: ut promtiſſimis animis nemo periculis hiſce ſe ſubtraxerit. Quid ergo, inquies, quo minus votorum compotes fiant, illos remoratur? Calamitoſa caſtrorum noſtrorum immundities: quæ dum illam præcavere nulli, corrigere pauci ſtudent, ſordidiſſimo contagio altiſſimas radices agit, non, niſi exitioſa plurimorum militum calamitate, germinaturas. Vt n. calori noſtro innato, humidoq; primogenio nihil magis adverſatur, quam putredo: ſic eandem nihil promtiore fomite ſuſcipit, quam tetræ fuligines, ex putreſcentium cadaverum ſanie exhalantes. Hac autem velut virulentiſſima nebula caſtra noſtrorum obumbrata, & tabo viruque peſtilenti ſolum incruſtatum pallere, vel rubere, cuncti advenæ non viderunt, ſed pleriq; maximo ſuo damno ſunt experti. Hoc autem quodnam coarguat, næ lippus viderit. Etenim ſi virulenti aeris infecti contagio ſuccumbunt illi; qui brevi tempore venenatos halitus caſtrenſes receperint; quis illum non pro deplorato habuerit: qui diuturna ſuctione, illos penitus imbibens, fomitem malignæ putredinis coacervaverit illis rebus, quæ ſalubris aeris puritati prorſus ſunt contrariæ? Nam ſi ex ſentinis caſtrenſibus labes aeris infecti confeſtim etiam ad illos dimanaverit: qui ſpectatum, non militatum, ad breve temporis momentum deſcenderunt, quis apud illos peſtiferas morborum lues graſſaturas mirabitur: qui propriæ ſalutis pertæſi, nulla ſanitatis ratione habita aeris contagioſas labes maturaverint? Quod certe fiet; ſi adverſiſſimum Germanis aerem Pannonicum, ſolumq; inviſum ſpurcitie caſtrenſi in nos armaverimus. Ad decubitum vero in nuda tellure quod attinet, conſtabit, opinor, illum propter putres malignoſque vapores

admodum ſuſpectum eſſe: cum tamen in caſtris devitari nequeat, eo nocentior fuerit, quo tellus malignioribus ſuccis imbuta, corruptioni magis obnoxia fuerit. Et ſane cum univerſa Vngaria pene dubii Martis ſanguinolentis gurgitibus paſſim ſit inundata: conciſarum vero legionum ſanie & tabo omnia diffluant; teterrimis ſuccis perfuſam terram inficientia ex putridis, & adhuc animam ſpirantibus glebis aerem attractum plurimum infici conſentaneum eſt. Quod enim inſalubres & pernicioſi halitus iis ex locis exſpirent, quæ cadaverum putredine ſqualent, tam rationes, quam ignis fatui crebræ evaporationes, quibus ſepulcreta nuſquam non relucent, edocebunt. Si igitur ulla in regione noſtris exercitibus ſuſpectior erit diuturnus terræ decubitus, hic ſane fuerit: ubi crebris & profundioribus foſſis ſubterraneæ fuligines aſſidue renovantur; quæ quidem ſolis etiam Auſtrinis flatibus, nedum virulentis glebarum exhalationibus peſtes præſentiſſimas diffundere poſſunt. Talparum n. inſtar quilibet fere ex peditibus tentoriola ceſpitibus effoſſis contra imbres communire ſolet, ſic, ut primo perverſum hunc ſed plane receptum, morem ſerio deteſtatus, inter ſepulcra potius, quam caſtra me verſari putarem. Quod vero in muniendis caſtris, ubi crebra ſuffoſſione, telluris aggeſtione, vix non montes hoſtilibus incurſionibus ſunt opponendi, cavernis ſubterraneis adapertis, aer corrigatur, non modo rationibus, ſed etiam exemplis certo conſtat. Tres enim Suidnitii, die 2. Julii, Anno 1556. Flambronii in Palatinatu 31. Julii Anno 1573. Romæ, die 23. Junii Anno 1574. duo afflati aere infecto refoſſione ex ſpecubus contracto ſubito mortui ceciderunt. Sic ſæpius λειποθυμίας ſymptomaticas graſſari conſueviſſe inter milites etiam valentes cum animadverterem, inter hos præſertim, qui diutius inter ceſpites telluremve circum-

circumcirca effoſſam delituerant, aere tantum locoq; mutatis plures facile reſtituebamus. His primæ Decadi Auſtriacæ finem facientes ultra decem ejusmodi morbis correptorum millia, quæ tantum laudatiſſ. Ordinum utriuſque Auſtriæ auſpiciis Turcis, toto hoc decennio ſemet oppoſuerunt, tacite comprehendimus: plures ex his ipſis, & notatu ſatis dignas, obſervationes ſubjuncturi: ſi benigno lectori ſtudium qualecunque noſtrum non prorſus diſplicuiſſe ſenſerim. Archiater caſtrenſis Filius Dei cunctis in periuros Turcas arma ſumturis ſanitatem, Sereniſſimæ Domui Auſtriacæ victorias, miſeræ Hungariæ tranquilla Halcyonia clementer elargiatur.

F I N I S.

OBSERVATIONUM CASTRENSIUM ET UNGARICARUM

DECAS SECUNDA.
SILESIACA.

AD

MAGNIFICOS, NOBILISSIMOS, STRENUISSIMOS, ET MARTE TOGAQVE

ampliſſimos viros ex antiquo, laudatiſſimoque ſtemmate ZEDLITZIANÆO *oriundos omnes & ſingulos Dominos, Patronos, & fautores colendos.*

CVM aliquando in Bibliotheca Auguſta Viennæ manuſcripta Wolffgangi Lazii de obſidione Viennenſi excuterem, Magn. nobiliſſ. & ſtrenuiſſimi Viri: incidi in locum captivitatis laudatiſſ. Cognati VVV. Magnif. & Stren. Equitis ſtrenuiſſimi, Domini Chriſtophori à Zedlitz. p. m. in crypta Baſilicæ Vratislavienſis contumulati: quam, quod auctor ille felicem ſummeq; fructuoſam Reipubl. Chriſtianæ fuiſſe conteſtaretur, non abſque cauſſa mirabar. Sic enim ſcriptum reliquerat. Ceſſit iſta captivitas Signiferi Hardecciani Chriſtophori Zedlicii non tantum obſeſſæ urbi, ſed Reipubl. Chriſtianæ ſatis feliciter: cum quod Herois Germani & Equitis cataphracti tremendo ſibi aſpectu Solimannus non parum cohorruerit: tum quod animoſis ipſius Zedlitii ſumma prorſus magnanimitate & dictis & factis, ad obſidionem citius opinione ſolvendam videretur compulſus. Magna hæc, imo magnis majora primo aſpectu cenſebam: quod unius Equitis Chriſtiani auſpiciis tantum aſſcriptum

vide-

viderem: quæ vix denis aut vicenis militum inſtructiſſimorum Legionibus irrogari & accepta referri poſſe viderentur. Poſteaquam autem penſitatis omnibus, quæ auctor idem prolixe recenſet, exactiore ſtatera res examinaſſem: in rationes ipſius haud invitus condeſcendi. Aſſerebat enim conculcatis protritiſq; plurimis hoſtibus, heroem hunc noſtrum Wilhelmo Obernbeckio nobili Belgæ vexillum commiſiſſe: in vineam paulum reſpiraturum ſeceſſiſſe: caſſide recluſa auras captaſſe: à tribus primo Turcis, quos tamen fortiter repuliſſet conſpectum, hinc pluribus ſupervenientibus depreſſum potius quam captum, & ad Solimannum tanquam ſolide ferream machinam deportatum fuiſſe. Subjungebat deinde: Tyrannum per interpretes ſermones varios cum Zedlicio miſcuiſſe: Sed hos á laudatiſſimo hoc Heroe ad ſalutem obſeſſorum, & Reipubl. Chriſtianæ emolumentum ita commoderatos fuiſſe: ut ad expugnationem jam certo conceptæ flammæ apud primores hoſtium plurimum refrixerint: exercitationes vero equeſtres reliquos milites horrore maximo perculſerint. Flagitante enim Ibrahimo Baſſa, Solimanno poſtulante, primoribus expetentibus, turba militum deſiderante, poſtquam in corona circumfuſi exercitus, totus cataphractus, ſed mulæ inſidens (quod equum, ne forſan Scævolam, patriæ ſe conſecraturus confoſſo Tyranno, imitari conaretur, hoſtis concedere nollet) quantum & quid præſtare poſſet, factis comprobaſſet, non minus pavore obtorpeſcentes Turcas metu; quam obſeſſos inſperata commoditate vel neſcientes affecit. Solimanno vero tantam ſui admirationem concitavit: ut primo poſt Ibrahimum loco, ſummiſq; dignitatibus, ſi ſuarum partium eſſe vellet, oblatis, adamantinam Herois Chriſtiani mentem fruſtra quidem oppugnarit: Veneno tamen lento, licet ſæviſſimo, tam ſuſpectum ſibi robur è medio tollendum ſumme conſultum

putaverit. Duas tamen, ſceleris conveſtiendi cauſſâ, pro more Ottomannico, togas offerri juſſerat, auro ſericoq; primam floſculis variegatam, alteram, quæ vel adhuc in arce Sibelonia coaſſervatur, poſtquam Ibrahimus oblato torque aureo, & libertate pleniſſime conceſſa, reſponſum tanto heroe dignum reportaſſet: ſe ſcilicet ad extremum uſque halitum hoſtem hoſtium Chriſtiani nominis futurum: quod ἐχθρῶν δῶρα ἄδωρα non tam ad mentis magnanimitatem enervandam, quam ad flammas vindictæ ſufflandas, ſibi oblata eſſe dictitaret. Et ſane vecordia Tyranni Turcici aſſertis noſtri Lazii non obſcure ſuffragatur: cum clandeſtinis inſidiis veneficum agere, quam unius Equitis Chriſtiani minas perferre maluerit: quantum tanti hoſtis virtutibus aſſcripſerit, hoc ipſo ſatis innuendo. Hunc igitur nunquam ſatis laudatum heroem, & in prima Turcarum in Germaniam noſtram irruptione anteſignanum æternis trophæis digniſſimum, toties in mentem revocabam: quoties cataphractos noſtrates, & in his plures ſemper ex eadem nobiliſſima & antiquiſſima familia ZEDLITZIANÆA oriundos in barbaros hoſtes alacriter tendere videbam: hereditarias nempe vindictæ heroicæ flammas uſqve ab hoc ſtrenuiſſimo Equite gnaviter transplantatas plurimum exſultans. Hanc ergo Sileſiæ noſtræ, ſic, ut uno verbo dicam, PROMERITÆ conſecratam Decadem obſervationum Caſtrenſium VVV. Magn. & Stren. auſpiciis, cur publici juris eſſe voluerim, in promtu cauſſa eſt. Ego vero me ex ſummis, quibus VVV. Magn. & Stren. omnibus & ſingulis, inde à teneris annis obſtrictus fui debitis, aliter ex parte exſolvere nec potui, nec debui. Serena igitur fronte ſtrenuiſſimam familiam ZEDLITZIANÆAM caſtrenſes hos labores non minus patrocinio Togato, quam Rempubl. Chriſtianam Marte armato ſic veluti hactenus defenſuram ſperans: Serio exopto: ut tales Heroes tantopere deſideratos etiam in poſterum nobis elargiri dignetur ille: qui nominis ſui Sacroſancti gloriam in catharmatis Mahometicis æterno ſulphure pœniſque nunquam ceſſaturis vindicaverit. His VVV. Magn. & Stren. bene beateque valeant, vivant, & vigeant. Dabantur Calend. Jan. Anno 1605.

VVV. Magn. & Stren.
Obſervantiſſimus

THOBIAS KOBERVS
Med. D.

DECAS II. SILESIACA.

OBSERVATIO PRIMA.

Nobiliſſimus Eques Erneſtes à Zedlitz, (quæ quidem laudatiſſima & antiquiſſima familia nunquam non literis & armis excelluit) cum menſibus Aeſtivis Anno 1599. *inter ſuperioris Vngariæ montana, neſcio quo fato, modo huc, modo illuc, cum reliquis fluctuaſſet: & caſu quodam, menſe Octobri, periculoſiſſimo conſilio, tam equitatus, quam peditatus Sileſiacus ſe nobis juxta Strigonium deſidentibus, dum de pace cum Turcis ſatis otioſe confabularemur, conjunxiſſet, in languorem Pannonicum paulatim inciderat: qui tamen nullo ſymptomate graviore, quam continuis vigiliis, & perenni ſed blanda mentis abalienatione exaggerabatur. Ad hunc cum ſtatim ab illuſtri Heroe Domino Colonitſchio, &c. miſſus eſſem, licet morbum jam radices egiſſe ſentirem, tamen cum mitiora omnia viderem, aſtantibus ut bene ſperarent juſſis, ad ſomnum inducendum primo deferebar. Plurimi erant aſtantes, & in his Nobiliſſimi David à Stanga Gersdorffii, Bebran, Tſchammeri, qui omnes ægro plurimum metuebant. Habet enim & hoc peculiare quodammodo ſibi ordo equeſtris Sileſiæ; illudque ſumme laudandum: quod in caſtris in Vngaria præſertim una viventes Germana & prorſus ſyncera fide ſemet tanto magis complectantur: quo major urgere videtur neceſſitas, reliquis plerumque nationibus non ſine clade ſæpius diſſidentibus. Etſi autem cerebro, diverſis aeris, modo ſubtiliſſimi,*

modo craſſiſſimi, fuliginibus turbato, deliriū erat continuū: tamen etiā ad uſum pharmacorum, lotiones nimirum pedum cum decoctionibus ſomniferis, emulſionibus papaverinis (cum per 21. dies vigilaſſet) & ſimilibus ægrum ſatis obtemperantem habebamus. Credo nos hoc ſumme commodum conſecutos fuiſſe ex moribus elegantioribus Domini Patientis: quibus in ætate florenti & venuſtiore forma manſuetioribus & benignis condecorabatur. Prima igitur ſtatim nocte, cum per tres horas ſuaviter dormiviſſet, deque pasſulis laxativis, quas in delitiis habebat, per noctem ſæpius guſtaſſet, de mane vero ſorbitiunculam ex cereviſia, per nodulum purgante epotaſſet, alvo ſatis recluſa delirium poſt triduum prorſus evanuit: Sic tamen, ut tunc magis quam antea, ut plerumq; fieri ſolet, languore viribuſq; proſtratis decumbere videretur. Huic autem facile obviam ire potuiſſemus: niſi caſtris modo huc, modo illuc translatis, parum commode, quiete interturbata, ſanitati conſulere nequiviſſemus. Quantum tamen fieri poterat diæta caſtrenſi obſervata, lente amiſſam ſanitatem lente recuperare adnitebamur: ſic, ut tandem tamen, nobis ad inferioris Vngariæ limites tutandos abreptis, copiis Sileſiacis ad ſuperiores Pannonas defendendos reductis, ſicq; longe ſejunctis, Dominus Patiens paulatim reconvaluerit; hoc 1603. auſpiciis Illuſtris Domini Colonitſchii, &c. locum tenentis officium cum laude adminiſtrando.

SCHOLIA.

QVi confinia Sileſiæ cum Vngaria & ex vicinitate periculum utriq; commune conſideraverit, non mirabitur, credo: ſi plus, quam poſſint Ordines Sileſiæ, impenſarum bellicarum, plus quam egeat Equeſtris ordo, roboris, ad infringendam hoſtilem rabiem hactenus contulerit. Quod enim nulla fere nobilis familia ſit, quæ non plures ex alumnis in hoc negotio Martio deſideraverit, quamvis multos res lautior à periculo, tellus hoſtilis & aer inſalubrior à Pannonia retra-

retrahere potuiſſent, ſatis ſuperque liquet. Nunquam tamen præſentioribus periculis totum florem copiarum Sileſiacarum obtruſum fuiſſe credo, quam iſtius anni Autumno, idq́; duplices ob cauſſas. Harum prima erat: quod per quatuor fere integros menſes per montana ſuperioris Vngariæ diverſiſſimis tramitibus, modo verſus Tranſyluaniam, modo verſus Sudetes indefeſſo & continuo motu, tam equitatus, quam peditatus, vagari fuerit coactus: unde ex variis potuum generibus non potuit non morborum Ilias repullulare: cui tamen ob manſiones indies quaſi mutandas recte, obviam iri non potuit: Cum præſertim Medicis caſtrenſibus non ſine gravi errore prorſus deſtituerentur. Altera cauſſa hac longe præſentior & ad exitium univerſale inferendum aptiſſima hæc erat: quod exploratoribus carentes, in manus centum Turcarum Tartarorumque millium non ſine interneciva ſtrage incidiſſent: niſi paucis ante hoſtium adventum horis, divino fato, ſe nobis coniunxiſſent. Cum enim lupinæ pacis (ſic enim eandem illuſtris & generoſus Dominus, Dominus Franciscus de Nadasdi, &c. mihi delineabat) egregia ſimulatione effaſcinati, anguſtias viarum, fauceſque montium, & trajectus fluminum præmunire neglexiſſemus, brevi poſt tantis porcorum Mahometicorum turmis, in amœniſſimam planitiem longe lateque diffuſis, non ſolum cœlum picea fuligine, ex incendiis Tartaricis, obſcurari vidimus: ſed miſerorum captivorum fletibus & ejulatibus auras remugire, non ſine gravi mœrore audivimus. Excurrerant enim belluæ graſſantes, vix non Piſonium uſque, ſic ut miſere proditi hoſtibus coloni, freti ſcilicet caſtris noſtris, in eadem ripa metatis, inopinato hoſtium adventu præventi, vix jam vinculis impliciti fruſtra nimiam ſuam confidentiam deflere cœperint. Idem autem copiis utriſq; noſtris, bono quidem, ſed periculoſiſſimo conſilio, adjungenda caſtra

feſtinantibus uſu veniſſet: niſi,ut ante dictum, unius & alterius horulæ benignior uſura è faucibus luporum eoſdem eripuiſſet. Conteſtabantur equidem primores, & in his nobilisſimus Eques à Schneckenhauß/ꝛc. Legione pedeſtri, in medium recepta, ſe vel tantilla manu de ſumma rerum cum hoſte concertaturos fuiſſe: Si jam tergori imminentes Harpyiæ acies inſtruere voluiſſent: quod tamen cruenta & internecivа ſtrage, obruti potius multitudine,quam devicti fortitudine occubuiſſent, rationi conſentaneum erat. Accedebat, quod ex ſeſquimille equitum turma quingenti fere, ex duobus peditum millibus dimidia fere pars morbis correpta langueret. In his erat nobiliſſimus Zedlitius noſter: quem jamdiu ante vigiliæ, ſed interruptæ, nunc vero continuæ, ad mentis blandiorem abalienationem deduxerant. Ne autem trium hebdomadum vigilias continuas lector miretur; ſic habeat: languorem Pannonicum interdum ſolo hoc ſymptomate, perpetuarum ſcilicet vigiliarum, contentum eſſe: ſic tamen, ut tandem malignis cruditatibus congeſtis conſueta tyrannide vim ſuam exerat. Anni enim 1595. expeditione cum Petrus Meyenzweick peritiſſimæ feliciſſimæq; manus Chirurgus, noſtriq; amantiſſimus ad caſtra deſcendiſſet à primo ſtatim Julii die ad Calendas Novembr. uſque pervigil inſomniſque die noctuq; permanſit; ita quidem: ut, totis his quatuor menſibus, ne per momentum fere dormiens, ſemper oberrare fuerit coactus. Admodum autem moleſtas has perennes vigilias poſtremo ſibi non fuiſſe conteſtabatur: cum præſertim, ſauciatis plurimis, temporis tædium quodammodo eluere potuiſſet, ſic tamen, ut menſe Novembri atrociſſimo morbo Vngarico proſtratus, modo ſurdus, modo cœcus, modo comate correptus totidem pene menſibus vix reſpirare potuerit, corpore etiam mutilato, & digitis pedum amiſſis. Cum enim natura calidus & humidus

midus eſſet, ob perpetuas vero vigilias calceatus ſemper hinc inde vagaretur, raro tibialibus mutatis, tandem facta ſideratione venuliſque capillaribus gangræna correptis ægerrime evaſit. Idem & mihi, quoad vigilias, cum Anno 1599. uſu veniſſet, non tam ſpontaneas, quam ob turbas ægrorum, nocte dieque inquietantium, coactas facile morbum, eumq; chronicum ſubſecuturum eſſe præſentiebam. Simili autem perpetuarum vigiliarum peſte correptos, cum in Decade nona ſim ſubjuncturus, hoc loco verboſior eſſe nolo: cum prius id ſubjunxero: Vigilias haſce Pannonicas ex cauſſis externis paulatim obrepere poſſe. Cum enim in hoſtili ſolo, parum ſecurus miles, Epimenideis ſomnis vacare non audeat: In excubiis quoque nocturnis nolens volens non ſine capitis periculo vigil permanere cogatur, dormiens vero vix tuto connivere auſit, apud plures tandem quiete conſueta, ſæpius interturbata, malum hoc radices egiſſe vidimus. Nautis enim & militibus quod cani citius effloreſcant ob perpetuas, quibus obnoxii ſunt, animorum anxietates per vigilia & truculentarum rerum aſpectus continuos, per ſe liquet. Huic tamen noſtro Domino Patienti ex perpetuis, ad diverſa ſtativa transmigrationibus, primo caput cruditatibus repletum fuiſſe, hinc totum fere languoris Pannonici ſyſtema nobiliſſimæ rationis arcem occupaſſe, conſentaneum eſt. Quo minus mirum, ſi cerebro ad κεφάλιν revocato, praviſq; humoribus loco motis languor prius vix animadverſus intenſior fuerit: Senſu nempe communi jam ad dolorum diſcretionem plus ſatis revocato.

OBSERVATIO SECUNDA.

Cum nobiliſſimus Juvenis Balthaſar à Warnsdorff &c. Eques Sileſius, inter plures alios, ſub ſignis Electoratus Saxonici, letha-

lethaliter decumbentis, diu jam lecto affixus, me ad ſe vocaſſet, inveni eundem, toto quidem corpore ad cachexiam & leucophlegmatiam œdematoſam diſpoſitum, præcipue tamen de anhelitus difficultate, pectoriſq; anguſtia quiritari, Caput ipſum totum tuber erat: color vero faciei livido colore deturpabatur: ſic, ut ex intemperantia, hepate crebris hauſtibus coinquinato, ſanguinem phlegmate crudo plurimum adulteratum, facile conſtaret. Fatebatur autem & ipſemet ſatis libere: ex zythi ſapidioris ingurgitationibus, nec tempus, nec modum habentibus, hanc ſe labem primo contraxiſſe: quam cereviſiis Pannonicis, quæ non tam boni ſucci, ſemperq; cum fecibus venundantur, magis magiſq; exacerbarat. Cum vero tanquam tomento fartas coſtarum cartilagines conſpicerem, non mirabar: pectus, ob cor ſatis forte, liberioris aeris attractum repoſcens, coarctari: & tamen phlegma crudum, ex cerebro quoq; ſenſim ad pulmones ſimul delabi ſentiebam. Monſtroſum autem alebat capillitium; pro more ſatis incommode recepto, eventilationes cerebri per ſuturas ſpiſſo involucro plurimum impediens: hoc poſt pillular. cochiar. & aggregativar. ℥ß. tribus matutinis exhibitam & fortiter operantem reſecandum cenſebam: poſtea cum ℈iij. S. extracti Savinæ per triduum exhibuiſſem, maxima vi urinæ excreta, cum cereviſiam abſynthiten in potu continuaret, tunc ſanitatem, neutram tamen, utpote jam familiarem, recuperavit. Ob recidivam tamen, quam incurrere metuebat, conſulebam: ut ſæpius ʒj. Theriacæ Andromachi ex vino calido epotaret: in reliquis, quantum fieri poſſet, lucubrationes cereviſiarias evitaret. Hoc autem fere exciderat, ad viſcidam materiam, pulmonibus inhærentem, expectorandam, & liberiorem reſpiratum maturandum, commode nos Syrupo pectorali ʒj. ol. Aniſi deſtillat. mixto uſos eſſe, ſic, ut nec iſto ſatis moleſto ſymptomate ulterius defatigaretur.

SCHOLIA.

QUod de Intemperantia & γαστριμαργίᾳ militari Schol. 8. Dec. 1. de vini ingurgitationibus dictum fuit; idem de inglu-

ingluvie caſtrenſi quoad cereviſiarum potores, dictum eſto. Plerumque enim evenit: ut contrariarum qualitatum occurſu non minus frigidæ & humidæ morborum intemperies ex zytho, quam calidæ & ſiccæ ex Lyæo, utroq; immodico, ſuſcitentur. Sitim quidem, eamque clamoſam duplici quaſi jure familiarem ſemper habet Pannonia: hæc tamen noſtratibus eo fere infeſtior eſſe ſolet, quo magis ad aſſiduos ex potu madores aſſuefacti fuerint. Videas igitur non raro lethaliter decumbentes pro gelidis & iis largiſſimis, hauſtibus, mortem & alia ſponte paciſcari: quod momentaneæ voluptati litare, quam ob ſalutem propriam ſitim pauliſper perferre malint. Et tamen, cum, quo plus ſunt potæ, plus ſitiantur aquæ, aſſidue hauriendo, apud pleroſque aliud nil effectum, quam oleum igni ſuperfuſum, ſæpius experimur. Subminiſtrat autem Pannonia ſuperior caſtris cereviſias, palato non ingratas: Submittit & Auſtria noſtra easdem, ſub ſole ardente præſertim à Zythipotis vel mero præferendas: Vt de laudatiſſimis Ratiſponenſium & Iglavienſium cereviſiis, quæ ſecundo nonnunquam Danubio devehuntur, nil dicamus. Cum n. per plures annos vindemiæ, nullo modo, vel parum, correſpondiſſent: Egeſtas, inventrix artium, etiam hanc coquendarum cereviſiarum rationem ad regiones viniferas, ut cellariis proſpiceretur, transplantavit: ſic, ut pauci jam ex magnatibus prius ſolo vino & aquis coctis, ſæpius crudis, ſitim reſtinguentibus, Zytho carere nolint, prandia cœnaſq; ſemper fere ex horum potu auſpicando. Et ſane exoptandum eſſet, ut cereviſiis aſſuetæ nationes advectitiis his potius uterentur, quam vinis, eadem & ſæpius majore quantitate epotis. Nam dum pleriq; merum iisdem ſcyphis & conchiis, quibus ante frigidius & humidum genus potus ingurgitarunt, potitant: ſæpius inſolitæ mutationis pœnas dant præſentiſſimas. Conceſſerim quidem à Sileſiacis, Saxonicis &

 Septen-

Septentrionalibus cereviſiis (quibus μεγαλοδόρου θεοῦ paterna munificentia vinearum culturam ſupplevit) colore, odore, ſapore, Pannonicas longe poſt ſe relinqui: maxime cum ex montanis interdum Waga fluvio, rhedis nonnunquam deportentur: Si tamen devolutæ in ſubterraneos ſpecus paulo ſubſederint, & ex motu incaleſcentes refrixerint ſua laude non ſunt defraudandæ. Auream tamen illam mediocritatem etiam hic impenſe commendatam velim: cum diarrhæas ſumme diuturnas, tandemque in lethales dyſenterias degeneraturas, ſæpius largiore zythi turbidioris & feculenti hauſtu concitatas viderim: ut ex ſequentibus res clarior evadet. Poſſe vero leucophlegmatiam univerſalem ex aſſidua cruditatum congeſtione introduci, quis eſt qui neget? Vbi autem plus cruditatis conſarcinetur, quam apud illos, qui diuturnis nocturniſq; compotationibus ita concertaverunt: ut cibi ſæpius penitus obliviſcantur. In regionibus enim Arctois per aulas præſertim ejusmodi potores oberrare vidi: qui cibis & ipſo pane per plures nonnunquam hebdomadas cum nauſea faſtiditis ex ſola cereviſia viverent & biberent, functiones nihilominus ſuas ſic ſatis obeuntes. Hoc autem in Zythis Pannonicis, ne quis attentet, cautum ſit: Cum etiam hic noſter Dominus Patiens ex ampliſſima Warnsdorffianorum familia hydropem lethalem non effugiſſet: ſi non in tempore adhuc morem gerens robore naturæ ſuppetias ferente cruditates coaggeſtas evincere ſtuduiſſet.

OBSERVATIO TERTIA.

SI diutius in hoſtili ſolo commoraturi ſupellectilem, ſaltem ſumme neceſſariam, ſimul cum tectis ſecum ferre poſſent pluribus interdum morbis prævenire poſſent. Hoc autem cum fieri nequeat, non ſane mirandum eſt: Si ſæpius etiam primariæ conditionis Duces, Capita-

nei,

nei, locum tenentes, ex diæta vitioſa morbis corripiantur. In his Anno 1599. erat generoſus Dominus à Braun, &c. tunc temporis præfectus equitum: qui cum per plures hebdomadas aſſis, iisque plerumque ob moleſtias itinerum, frigidis, ſæpius etiam perperam paratis carnibus victitaſſet, menſe Octobri demum in ἀπεψίαν ſummam, ventriculo crudo phlegmate viſcoſoque diſtento incidit, quam ructus acidi, cum nauſea perenni, comitabantur. Sæpius enim, cum profectionibus longioribus inſerviendum eſt, conſuevere magnates, penum carnibus aſſis inſtruere: Quibus nonnunquam ſemicrudis, cum non ſemper & ubique luculentus focus inſtrui poſſit, familiam ſeque ſuſtentare ſolent. Et ſane modica aceti aſpergine irroratas, pro re nata, in delitiis ſæpius ejusmodi carnes fuiſſe, recordor: cum aſſatura, mediocri exſiccata, cœlo præſertim flammeo, frigiditate ſua plus palato arriderent. Hoc autem in generoſo hoc noſtro ægro ut pluribus aliis, his cupediis ſatis aſſuetis, malum adauxerat: Quod in montanis Cisdanubianæis tanto tempore fluctuantes, panibus, modo mucidis, modo ex clibano adhuc ferventibus, utrisque concoctu contumaciſſimis, uſi fuerint. Nam quod vel hoc unicum ventriculum ſentina cruditatis phlegmaticæ diſtendere, & ob hoc ἀνορεξίαν inducere poſſit, nemini non notum. Deſtituebantur tunc copiæ Sileſiacæ velut & antea (nam nec in expugnatione Hadvvanenſi Anno 1596. re tanti momenti ægris proſpectum erat;) Medico caſtrenſi, ſic, ut ad pleroſque magno numero decumbentes vocatus, ad hunc tamen omnium primo ab ipſo Domino Kolonitſchio, &c. cum decumbentis amicitia familiariſſime uteretur, deducerer. Renitentiam quandam cum in ſtomacho, licet abſque dolore, ſentirem, urinæ vero crudiſſimæ eſſent, deq; errore in diæta admonerer, nulla re promtius, quam vomitivo exhibito commode pravorum ſuccorum cataclyſmum exturbandum eſſe, conteſtabar. Hoc autem Dominus Patiens melancholia prædominante, cum ægre admitteret: quod damnatam Stibii præparati exhibitionem, non ſine cauſſa, deteſtaretur: illamq; ſibi exhiberi, falſo tamen, ſuſpicaretur, plurimis in medium prolatis rationibus, vix perſuaderi potuit, ut vomiti-

mitivo noſtro, de quo in Scholio, tandem uteretur. Vix deglutierat ſaccharo roſato involutum : cum tanto abſque tamen moleſtia, niſi ſtomachus ſe relaxavit : ut craſſo viſcoſoq; phlegmate maxima peluis Turcica adimpleretur. Parvum autem myrotheciolum Vratislavia ſecum aſportaverat : idq; non ſine elegantisſimorum Medicorum, quibus nunquam ſatis laudata Reſpublica illa ſemper excelluit, conſilio inſtructum, & ad Domini ægri naturam accommodatum : ex quo cum Syrup. acetoſitat. Citri *de limonibus & mentha, qui omnes præſto erant, tempeſtive miscuiſſem, languor ille & ἀπεψία ſtomachi plane removebatur, appetentia etiam plus juſto & citius accreſcente : quod ſuccis melancholicis acceptum referebam: Pillulis autem hieræ ſimpl. & de fumaria, ſtatim poſt vomitum ſecundo die utebamur, dextre operantibus : cum maſſæ & pharmaca ex eadem officinula depromta recentisſima & integerrima eſſent, ſic ut eadem Pharmacopæo meo (qui tunc ob metum Tartarorum adventantium periculo quidem ſe ſubtraxerat, dyſenteriæ tamen lethali nequaquam, ex qua prid. Id. Novemb. Viennæ occubuit) abſente, ad plurium ægrorum, facile annuente Domino poſſeſſore, ſæpius egentium ſalutem conferre potuerim. Sacculum quoq; ex abſinthio Pontico, origano, calamintha, pasſim circa Strigonium naſcentibus, rutha quoq; & hyſſopo, cumq; caryophillis, calamo aromatico adjectis, vino irroratum, calide ſtomacho admoveramus: unde brevi ventriculus, ſaburra phlegmatis viſcoſi & tenacisſimi exonerata ſe recolligens, dapes non modo appetivit, ſed adeptas quoque recte concoxit. Miva tamen cydonior : & vino abſynthite, cum utrumq; ad manus eſſet, ut alternatim uteretur, piperis non maſticati aliquot granis, ſi ad frigidos cibos deveniendum eſſet, deglutitis, conſulebamus.*

SCHOLIA.

SPartanos cibos ſuos inſipidos inedia & fortibus exercitiis condiiſſe perhibent. Idem his decennalibus expeditio-

tionibus plurimis rebus alias ſemper florentibus uſis & deliciis Apitianis aſſvetis, evenit. Nam & mihimet ipſi panem illum, non nauticum, ſed militarem, æque ſcilicet durum & impurum, quem Proviant-Brodt appellant, Comaronii & alibi fruſtillatim oblatum, etſi ſcabritie furfures, nigredine terram ſæpius æquaret, quamvis ambroſiam ſpiraviſſe, urgente fame, jucunde reminiſcor. Orare igitur qui neſcit, mare naviget: vorare qui neſcit, aut cibos utcunq; paratos boni conſulere, militatum eat. Quodvis enim obſonium fame edulcoratum, longe gratiſſimum fuerit: licet in minus aſſvetis tandem, ut ſæpius expertus ſum, cruditates conſarcinatæ manifeſto ſeſe exerant: quibus nulla re dexterius, quam tempeſtivis vomitionibus obviam eundum eſt. Sunt equidem non pauci ex magnatibus: qui ob violentas nonnunquam Empiricorum, ex mineralium malignitate mutuatas ſtomachorum everſiones, uſum vomitoriorum tanquam ſuſpectiorem gravatim admittunt: Si tamen, cauſis in medium allatis, unum & alterum dubium excuſſeris, plures morigeros habebis: qui tandem, ipſo eventu convicti, ad hoc pharmacorum genus non inviti deſcenderint. Cum vero inter omnes medendi rationes in languoribus Pannonicis principatum teneant vomitiva; noſtrorum, quibus feliciſſime ſemper, medicante Chriſto, uſi fuimus, præparationem ſubjungere volumus, & debemus. Recipiebamus autem radicum Aſari recentium, quantum volebamus, inciſas ſpiritu vini, eoq; fortiſſimo tam diu macerabamus: donec vis omnis eliceret: hinc Raphani Auſtriaci eſſentia eadem ratione extracta pauca Croci tinctura, ob correctionem, admixta, pro circumſtantiarum ratione, languentibus exhibebamus. Tres enim vel quatuor guttas, modo decocto conveniente, modo Saccharo roſato exceptas facile vomitus concitaſſe vidimus: tantam ſæpius primo phle-

gmatis, in ſtomacho detenti, mox bilis flavæ, porraceæ, viridis, in ventriculo collectæ, tandem atræ bilis fundo ventriculi adhærentem copiam rejiciendo: ut nemo, niſi oculatus teſtis facile crediderit. Nec enim eſt: ut hoc melancholici humoris, licet excrementitii rejectu, facile commovearis: cum in ejusdem vomitionibus per pharmaca commotis, nunquam ſymptomaticus ſemper perfectæ operationis pharmaci index eſſe ſoleat. Quali vomitivo ſimus uſi, diximus: cur ejusmodi excretionibus palmas demus, & cur cunctis aliis evacuationibus, cum ſubverſiones ſtomachi præter naturam ſint, easdem prætulerimus, porro dicamus. Pars affecta, ut ſuperius dictum, in languore Pannonico ſemper fere cum ſit ſtomachus: ille vero in ſummo craſſioribus & lentis ſuccis ſit inviſcatus, in medio bilis omnis generis copia turgeat, & fluctuet: in imo vero bile atra incruſtetur: expeditius certe, quam per vomitiones, evacuari nunquam poterit. Adde quod per tantillum Oeſophagi ſpatium & fauces turgens materia promtius rejici poſſit, quam ſi longiſſimis inteſtinorum anfractibus per totum ventrem ſpargenda potius, quam educenda ſit. Guttur enim amarore, vel acore rejectæ materiæ adulteratum, frigida longe facilius elui poterit: quam inteſtinorum plicæ virulentis ſuccis ſæpius eroſæ. Plures enim & in his magni nominis Heroes, ex intempeſtive aſſumtis purgantibus, in graviores ſæpe morbos & mortem ipſam præcipites datos fuiſſe, ſcimus: cum, ſcilicet turgens materia catharcticis irritata, bilis acredine, inteſtina vellicans, & pungens, primo diarrhæas, tandem dyſenterias lethales, excitaſſet. Quin quod violentiore vomitu, villis ventriculi convulſis, tenax humorum viſciditas abradi queat: quæ purgantibus nullo modo loco moveri poſſit. Hanc enim, in hoc generoſo Patiente, glutinis inviſcati Camerinam, nullis certe catapotiis, hauſtibus laxativis aut

pul-

pulveribus purgantibus commoviſſem: cum hi ſtomacho multum negotii faceſſant: illi, vix exhauſti vomitu, ſed medicato, tantum rejecti fuiſſent: Pillulæ vero frigidiore phlegmate involutæ detentæque, pedicas tam ſtrictas perrumpere, vel confringere nequiviſſent. Quoties enim pillulas longe ante deglutitas, integras adhuc & conglobatas vomitu dextre provocato, rejectas vidi? Quoties pulveres purgantes, uſque ad animi defectiones, os ventriculi, nullo cum effectu, lancinaſſe ſenſi? Et potiones in puncto vomitu, non ſine plurima nauſea, refuſas conſpexi? Languores ex vomitu reformidandos dixeris. Nihil minus. Sentinis enim ex phlegmate crudo, acido, vitreo, ſalſo, ex bile citrina, pallida, vitellina, æruginoſa, Iſatode ex melancholia, acida, & acri large congeſtis, vix dum evacuatis, & per ſuperiora proturbatis, mica panis vino intincta, foris vero oleo, modo menthæ; modo cydoniorum, modo abſynth. aut nucis moſcatæ, quemvis ventriculi languorem vel latratum facile conſopiveris. Hoc autem humorum excrementitiorum tantum diluvium ventriculos caſtrenſes ex diæta ſatis dura inundare vero verius eſt. Crudum enim phlegma ubinam locorum plus coacervetur, quam in hoc cruditatum Oceano? Ubi ex fructibus horariis modo tenuinor, ex carnibus ſemicrudis, & actu frigidis, craſſior, magisq́ lenta pituita naturali longe frigidior ſemper accumulatur. Acidum vero, nec in ventriculo, nec Hepate ſatis coctum, cum in toto corpore cauſa majoris cruditatis, flatuum & vaporum ſit; in ventriculo vero cauſa famis exiſtat, tanto magis abundaverit: quo fames, ad cruditates expetendas acore ſtimulata, in caſtris vehementior fuerit, Vitreum porro phlegma omnium frigidiſſimum, quod diætæ caſtrenſi familiariſſimum ſit, Colicæ fortes, & illæ ſæpius Epidemicæ conteſtantur: quemadmodum & ſitis apud pleroſq́ intenſior ſalſam pitui-

tam

tam excrementitiam, ventriculo impactam, licet frigidis cruditatibus diſtineatur, abunde docet. Hoc autem crudi, acidi, vitrei, ſalſiq; phlegmatis chaos (quod in hoc noſtro, Domino ægro vix non coaluerat) nulla re dexterius disjicies, & eradicabis in caſtris, ubi concoctioni per Syrupos & decoctiones Magiſtrales locus nullus eſt, quã vomitu, tuto, cito & jucunde poſt blandam ſecuturæ commotionis præmonitionem ſecure concitato. Sed hinc ad ſpleneticum morbum navigemus.

OBSERVATIO QVARTA.

Cum nobiliſſimus vir, ſupremus locum tenens peditatus Sileſiaci, à Rottvvitz, literis & armis egregie inſtructus, ejusdem anni expeditione infra Strigonium transdanubianæam, vel invitus caſtrametari coactus fuiſſet: quod plerisq; ex iis, qui gloriam pro vita paciſci ſolent, diſceſſus ex altera Danubii ripa, vallis & aggeribus per totam æſtatem effoſſis communita, vix conſpectis hoſtibus, parum honeſtus videretur, ex atra bile collecta, & ex ventriculo caput petente, in quandam animi ægritudinem ſubobſcuro mœrore concomitatam incidit. Graſſabantur ſimul etiam languores Pannonici inter pedites, qui ex continuis itinerum moleſtiis, & aliis cauſſis procatarcticis, ut plurimum exacerbati fuerant: quorum conſideratione non poterat non locumtenens mœrore affici. Accedebat, quod in fine fere Autumni eſſemus: Tempore quoq; bilis atræ generationi plurimum obſtetricante. Cum autem periculum inſtaret, ne liene obſtructo & materia melancholica tandem ſuccenſa quartana, vel ex ſanguine melancholico inflammationes ſpleneticæ maturarentur, cum rationibus in medium adductis, tandem acquieviſſet, ſtomacho atra bile & phlegmate ſuffarcinato, cum extractum raphani obtruſiſſemus, bilis atræ acidæ & acris magnam copiam phlegmati miſtam vomitu reddidit, ſic tamen, ut Dominum ægrum de exhibito ſibi vitro Antimonii conceptas ſuſpi-

ſuſpiciones, licet falſas, excutere non poſſemus. Et ſane niſi oculari demonſtratione convictus fuiſſet, ex bilis atræ mordaci acredine dentes perurente rejecta: cum literis & (quæ natura melancholiæ) ſemper ſibi conſtantibus cultus eſſet, vix ad venæ ſectionem eundem deducere potuiſſemus. Hanc autem altero die inſtituebamus, Salvatella in ſiniſtra manu pertuſa: ex qua ſanguis ater & melancholicus promanabat. Cum autem durioris alvi eſſet, eodem die nodulo purgante & ſplenetico ex fol. Senæ, epithymo, polypod. correctis, cortic. radicibus capparor. & tamariſc. nec non ſcolopendrio (quod ſecum ex conſilio doctiſſimorum Medicorum contra Amatum recte ſentientium Vratislavia deportaverat) adjectis vinum purgans, cum reliqua pharmaca plurimum faſtidiret, & hoc utcunque delectaretur, parari juſſi: ex quo cum ſequenti aurora cyathum calide, ſiti quoque urgente ſcyphum unum & alterum epotaſſet, ſedibus ſatis correſpondentibus denſiores mentis caliginoſæ nebulæ ſunt diſcuſſæ: ſic tamen, ut ol. de capparibus inflationi lienis, quæ quidem exigua, obviam eundum eſſet. Nodulis autem, per noctem vino meraciore infuſis, pro natura morborum in caſtris eo lubentius magnates utuntur: quod plerique ad pharmacorum uſum prorſus obriguerint; hæc vero vina medicata promtius admittant, cum indies, ter vel quater, ſedibus abſq; torminibus commotis, purgent: ſic, ut arbitrium penes utentes ſit: ſi operationem plus vel minus exhauſto vino intendere vel diminuere velint. Hoc autem cum in reliquis catarcticis fieri nequeat: non immerito hanc medendi rationem, cum jucunditate conjunctam, reliquis præferunt. Erat in his Dominus Patiens noſter qui in petiæ colligandas herbas lyncea indagine perſcrutabatur: ſemper ſibi palpum Chymicis medicamentis obtrudi veritus. Hac autem in re cum Domino ægro ſollicitudinis & prudentiæ Melancholicæ jam gnarus facile conniverem: cappares quoq; ex oleo & aceto commiſtas, per ſe ſatis arriſuras, commendarem, cum præſertim nodulus noſter egregie, quod debebat, præſtaret, facile in reliquis Dominum Patientem obſequentem habebam. Cumque in fine Autumni eſſemus, & in ripa

transdanubianæa Strigonienſi, quæ hactenus ob metum graſſationum hoſtilium vix non intacta fuerat conſidentes, aucupio vacare poſſemus, ut eodem ad diſcutiendas animi tenebras, & mœrorem ex decumbentium militum calamitate conceptum, contemperandum, interdum indulgendum conſulebamus. His autem atræ bilis, quæ jam aciditatem & acredinem utramq; maxime ſuſpectam, contraxerat cum partim fomes ſubtractus, partim materia peccans evacuata eſſet, brevi hoc, quod volebamus, conſecuti fuimus: ut ſcilicet liene, ex impuri ſanguinis ſentina retracto, ſpiritibus defecatis ſatis proſpera valetudine Dominus Patiens frueretur.

SCHOLIA.

HOmerus, ubi reliquis altum dormientibus Agamemnonem in caſtris pervigilem, de commiſſarum ſibi copiarum ſalute ſollicite cogitantem introducit, proprium ποιμένι λαῶν officium, & illorum, quorum curis aliorum, plurimorumque ſalus commiſſa & concredita eſt, munus recte deſignat. Et optandum ſane eſſet, & peroptandum: ut inter Chriſtiani nominis primores ſummos & imos illi, qui gubernaculis rerum gerendarum contra periuros Turcas aſſident, cum ipſorum fidei & vigiliis tanti theſauri gazæ, exercitus nempe Chriſtianus committatur, in hoc ſpeculum ſedulo intuerentur. Hoc enim ſi fieret, non tanta æmulatione, tantiſque ſudoribus & technis ſpartam, nunquam ſatis exornandam, eſſent ambituri illi: qui tantum ex titulorum ampullis & ſeſquipedalibus tantorum munerum inaugurationibus, Herculeum onus æſtimant: cum res longe aliter ſe habeat. Illo ipſo enim temporis momento, quo Sac. Cæſ. Majeſt. tot hominum millium ſalutem, res, fortunas, gloriam, corpora, & animas ſancte committit, paternam prorſus mentem, curaſque patrias pro commiſſis ſibi commilitonibus

bus induere deberent. Si enim etiam ex Ethnicis Ducibus multi civem unicum conſervare, quam mille hoſtes peſſundare maluerunt: quid illis factitandum eſſet, qui non de homicidiis, ſed de minimo quoque verbo inutili ſeveriſſimo Judici rationes ſunt reddituri? Et tamen ſæpius reipſa expertus ſum: me non parum caperata fronte exceptum fuisſe à quibusdam, cum de militum ſanitate, ſi quando ex lethalibus morbis reſpirare cœperint, prolixe pollicitus fueram: Cum è contra perbenigne tractarer, ſi plures certo morituros denuntiarem. Quin imo cum aliquando de ratione mihi perſpecta ſatis, qua vix non totius legionis ſanitas minimis impenſis conſervari poſſet (in hoc enim unico totius negotii Martii cardo, ut ante declaratum eſt, verſatur) diſſeruiſſem, lingua vernacula hoc me reſponſi accepiſſe, non ſine ſtomacho recordor: Das were für uns nicht. Hoc n. quavis furca digno, acroamate Thraſo iſte conteſtabatur: ſe ex miſerorum militum turpi inhoneſtaque morte lucrum venari, non minus præſens, quam damnandum: quod in defunctorum, imo turpiter enectorum, locum ſtipēdium accepturi quoſuis lemures ſcite ſubordinare ſoleant. Hoc autem locum tenentis noſtri Sileſiaci mentem non fuiſſe certo ſcio: cum vel hinc, ex plurimorum nempe peditum, morbis correptorum, miſeriis, melancholiæ fomitem primo collectum, poſtea ſuccenſum fuiſſe, animadverterem. Huc accedebat, quod fruſtraneis, & diverſimode inſtitutis, profectionibus oleum & operam vix non perditam ingemiſceret: cui ſollicitudo ex periculo, quod vix non omnes ad internecionem obnoxii fuiſſent, non poſſet non ſuffragari. Heroicos autem tantæq; rei dignos animi motus ex juſta bilis atræ flavæq; intemperatione promanare, certo certius eſt, Quo minus mirum: ſi rebus, non ex ſententia fluentibus, ut hoc decennio aliquoties evenit, apud cordatos præ-

ſertim, magnique animi Duces atra bilis reliquis prædomuerit; ita quidem: ut ad hujus, licet nonnunquam excrementitiæ, & morborum generatricis, ſemper reſpiciendum fuerit. Præaſſatæ in potu meraciore bilis portiones quod facile acorem & acredinem acquirant, per ſe liquet. Ad atram igitur bilem ſemper ut reſpicias in primoribus, qui præſertim inter fulmina & artes Martias conſenuerint, aut qui prudenter pro ſe, paterne pro ſuis vigilantes in excubiis fuerint, conſultum eſto. Sed de phlegmate & bile atra paucis hæc dicta ſufficiant: ad bilis flavæ inundationes diverſas clavum dirigamus.

OBSERVATIO QVINTA.

ÆStatem, & Autumnum Anni 1598. *prima metropoleos Budanæ obſidione memorandi, variis tempeſtatum viciſſitudinibus expoſitum fuiſſe, ſuperius diximus. Ver quod præceſſerat, ignea caliditatis & ſiccitatis ſerenitate deflagrabat: unde bilis excrementitia hydra non poterat non repullulare. Cum autem in funere optimi, manuque & fide cognitiſſimi, Jacobi Gemlichii Pommerani per novennium Domini, Domini à Colonitſch, &c. Oeconomi, die* 7. *Julij pie defuncti, Strenuiſſimus vir, & per plures annos Domini prænominati Locumtenens, nobiliſſimus à Seidlitz, Eques Sileſius, paulo largius adbibiſſet, ex bile, cum dejectione appetitus coacervata, ſtatim quidem de morſione & torſione in ventriculo, leni tamen, conquerebatur. Ego vero ad* ἄπυλον *noſtrum vomitorium tuto deveniendum licet prævviderem; tunc tamen viro, nobis alias addictiſſimo, perſuadere non poteramus: Erat alias temperamenti laudatiſſimi, cholera tamen, juxta leges bellicas, in conſtitutione ſanguinea, præpollentis. Rediens autem Viennam* 10. *Julii Zorendorffio, ubi tunc in hybernis fuerant equeſtres turmæ, licet Chirurgum caſtrenſem, quid fieri deberet, ſi pharmacis in tempore uti vellet, inſtruxiſſem: Tamen*

cum

cum Seidlitzius noſter ſpontaneam ſanitatem de die in diem ſibi polliceretur, ad Calend. uſque Decemb. priusquam ad exturbandam in ventriculo ſentinam bilis, tanto tempore conſarcinatam, aliquid moliremur, res fuit procraſtinata. Tandem tamen cum 2. Decembr. Brodersdorffii, ubi luſtro facto dimittebamur, in ſatis magna doſi vomitivum exhibuiſſem, certoque ſcirem: me omnes bilis excrementitiæ ſpecies, citrinam nempe pallidam, vitellinam, æruginoſam & Iſatoden, ſimul & ſemel vomitu rejectas deprehenſurum, à latere Domini patientis diſcedere nolebam. Statim quidem poſt aſſumtum pharmacum punctiones circa cartilaginem ξυφοειδὴν ſentiebat, ſic, ut animi deliquium ſe incurſurum comminaretur: Cum tamen breui poſt phlegma primo viſcidius ſubſecuturum confirmarem, facile tulit: Eventu mox aſſerta noſtra confirmante. Vix enim conticueramus, cum ſubito tenuioris pituitæ, ex ipſo ventriculi orificio difficulter abraſæ, colluvies rejecta fuit: quam deinde, abſque ulla moleſtia, primo pallidæ bilis, ſeroſa humiditate dilutæ, copia ſubſequebatur: Hanc citrina bilis, tribus quaſi paroxiſmis, pari facilitate excipiebat: qua jam evulſa vitellina, & illa quidem ad nauſeam usq; virulento amarore & nidore infeſta, binis rejectionibus tumultuabatur: quam æruginoſa primum, ſed & hæc in maxima, nec ab ullo, niſi oculato teſte, credenda, copia, & demum Iſatodes, dextre prorſus obſervata ſerie, ſubſequebantur. Etſi autem plures, imo innumeros, tali methodo, vitioſa materia rejecta, belle ſe habuiſſe viderim: vomitiones quoque ſponte ſua erumpentes facile tuliſſe ſenſerim: tamen tam exacte obſervato ordine nullibi bilis omnes ſpecies invicem ſibi ſucceſsiſſe vidi: cum ſemper fere æruginoſa pallidæ, citrina vitellinæ permixtæ fuerint. Hic autem non ſecus ac ſi tabulatis inter ſe, aut utribus diſcretæ ſenſimq; collectæ fuiſſent, poſt primam ſecunda, poſt ſecundam tertia &c. pure & impermixtim rejiciebatur; etſi citrina pallidaq; vaſis cypriis & orichalco exceptæ, paulo poſt virore per acredinem aliunde abraſo, in praſeam porraceamq; bilem, quoad colorem, degeneraverint. Quam vero hic, in tam turgente materia,

concoctionem exſpectes? quas molitiones naturæ in concoquenda humiditate tanta, & quidem ſimul collecta pravæ humiditatis & excrementitiæ præſtoleris? nullas profecto. Nec enim habet in quod agat Natura: cum ventriculi, villis, madore bilioſo ſenſim imbutis, ad pravum quaſi aſſuefacti, nullo ſuo niſu peccantem materiam reiiciant: & tamen interim paulatim cunctis viſceribus virus inſtillent. Quodcunq; enim primæ concoctioni, etiam nonnunquam ſtomacho ſatis reluctanti: (cum infartus diſtentusq; ſit plurima materia) nonnunquam plus ſatis expetenti: (quod bilioſis ſuccis vellicatus appetitum, licet falſum, ementiatur) ingeritur; in id, quod ſtationes ante præoccupavit, promte transmutatur: ſi præſertim ex aſſumtis, tantæ metamorphoſeos analogiam, ſumme correſpondentem, acquiſiverit. Vinum autem, & illud quidem merum, quod vix non mera bilis ſit, ſatis conſtat. Hoc autem quibus, quæſo, Syrupis, quibus potionibus magiſtralibus, virulentæ materiæ exæſtuationem compeſcueris? nullis profecto. Quicquid enim in vas præcorruptum infuderis, næ momento citius naturam exuens, peccanti materiæ fomitem ſurrogabit: quod, Annis 95. & 96. præſertim, magna ſæpius cum animi conſternatione ſatis ſum expertus. In hoc autem noſtro ægro vix colluvies humorum peccantium elota fuerat: poſtquam os ventriculi moderate adſtringentibus confortaſſemus, ut ſubito, redeunte laudabili appetitu, ſumme integra ſanitas reparata fuerit: ut ſequenti die vel luſtro ſoſpes ſanusque intereſſe voluerit & potuerit: cum primus per trimeſtre tempus ſenſim quaſi, licet non decumbens, languens tamen, ad actiones obtorpuiſſet.

SCHOLIA.

NE mireris, candide Lector, ſi toties, ad ravim uſque, non crambem bis coctam, ſed bilem, nunquam coctam vel coquendam, vomitu per vias compendiarias, fauces nempe, exturbandam, inculcem: cum huic unico fere

fere maxima decumbentium ſalus inniti videatur. Quod enim in languoribus Pannonicis, præſertim in principio, maxime urget, tempus eſt: quod ne fruſtraneis humorum peccantium præparationibus teras, ſummopere cavendum eſt. Non omnes enim intempeſtivas procraſtinationes tam impune ferent, ut hic æger noſter, cujus fortaſſis, ad perferendas injurias natura fortior, ad tempus morborum inſultum eluſit: quod tamen apud milleſimum vix tibi pollicearis. Egregie jam, utpote per plures annos in Pannonia cis & trans Danubianæa verſatus, ad vigorem caſtrenſem induruerat, ſic, ut aere & diæta, plus ſatis negotii facturis, diuturna conſuetudine exarmatis jam veteranus parum contunderetur, & alias ob ſcite diſpoſitos humores ſatis integra ſanitate frueretur. Hæc autem tanto majore niſu catapultis infeſtioribus opponebantur: quanto ſæpius fragilis & caduca ſanitas morbis apud pleroſque, Tyrones præſertim, & ſui negligentes, eſt expoſita. Hinc enim fit: ut plerique, niſi prima ſtatim fronte Medicum conſulant, per tres vel quatuor dies humi jacentes, nunquam deinde ſurgere poſſint: diffluente quaſi per totum corpus bilis & humorum pravorum ſentina. Hanc autem bilis, ſibi invicem ſuccedentis, ſeriem hic ob oculos ponere volui: quod nullus dubitem & his, & aliis, in medium adductis, Medicos caſtrenſes commotos, in meas rationes condeſcenſuros: ipſa rerum magiſtra, experientia nobis ſuffragatura. Omnes enim qui ſatis mature & priuſquam languor Pannonicus jam victor humo ſtratiſque miſeros affigeret, ſola vomitione (quæ aliquando ex phlegmate tantum, aliquando ex atræ, ſæpius ex flavæ bilis illuvie, de quibus in his tribus obſervationibus actum, conſtitit) non tantum promtiſſime evaſere: ſed etiam ad luctam uſque reconvaluere: nullis in Autumno diarrhæis, vel ſimilibus, tempori locoque fami-

liaribus

liaribus, morbis obnoxii. Agit enim in ſummum, medium & imum ventrem, ſuo eoque ſummo, jure ſtomachus κακοχυμίᾳ humorum diſtentus, fartuſque: cerebro frigido, crudiſque exhalationibus, modo obtorpeſcente, modo furvis atriſque nebulis inquinato. Idem cordi, pulmonibuſque, ob vicinitatem, vulnus infligitur; ſic, ut ſæpe de abſceſſibus, quos cor pati nequit, imperitos conqueri audiveris: cum nihil aliud, quam phlegma, vel bilis utraq; hæ morſionibus & torſionibus vellicantes, illud maſſa, firmiter impacta, aggravans, in orificio ventriculi malum inducat. Si vero loco mota materies vitioſa ad imum ventrem fuerit protruſa, per anfractuoſos inteſtinorum meatus, viaſque perplexas, quas turbas datura ſit, vel lippus viderit. Quod enim ἀντίτυπον, & tactui renitens doctiſſimus Jordanus in morbo Vngarico, ſtomachos infeſtaſſe obſervavit, hodie adhuc apud pleroſq; obſervari poteſt: cum eadem illa Vngaria eandem diætam & eosdem morbos caſtrenſes, licet apud jam paulo plus aſſuetos, non tanta rabie debacchantes, introducat. Nec n. facile quenquam reperies: qui non manu quaſi ducta, te ad hunc locum affectum ſit deducturus: ſi modo in principio, ut fieri neceſſe eſt, vocatus fueris. Nam ſi quartum vel quintum diem turgentem materiam ventriculo inhærere, patieris: vix gravi deinde negotio Camarinam, vel jam tenaciter impactam, vel ad interiora protruſam, revellere poteris. Nec eſt, quod admodum in exhibendis vomitoriis meticuloſus circumſpectuſque ſis: quod raro admodum ad vomitum non diſpoſitos, idoneos, aſſuefactos denique milites inveneris: utpote quibus laxiores ad ingurgitandum fauces redditæ, Euripos refluxuſq; facilius admittant: quamvis ſemper poſt peractam pharmacorum operationem, eamque perfectam, aſſumtis & admotis acribus, ſtomacho ſuppetias ferendas, non inficias eam. Ad hanc autem ſacram anchoram,

ram, quod in languoribus, morbiſque Hungaricis confugiendum, tantopere exhortemur, ille non mirabitur: qui teſtis oculatus, quantæ utilitatis & neceſſitatis hæc medendi methodus ſit, re ipſa edocebitur. Et hæc paucis delibaſſe ſufficiant: ex bilis utriuſque ulteriore oppugnatione receptui canendum cenſentes: cum renes ob motum equeſtrem, & ſeroſorum humorum acredinem, ſummis quoque injuriis expoſiti, nos ad ſe rapiant.

OBSERVATIO SEXTA.

Nobiliſſimus Eques à Gersdorff, vir corporis & animi dotibus exornatus, temperaturæ ſanguineæ, & corpore εὐσαρκῷ *ad plethoram diſpoſito: cum ejusdem* 1599 *anni Autumno, equo ſuccuſſore ſemper fere vectus fuiſſet, vinisque, modo pendulis, modo turbidis, & iis diverſiſſimis pro re nata, uſus fuiſſet, tandem renibus concuſſis labefactatisque inflammatione eorundem & obſtructione ſuborta, ſenſim in dolorem nephriticum incidit: quem tamen nunquam prius ſenſerat. Ad deoppilandam obſtructionem diureticis, ad reſtinguendam inflammationem refrigerantibus, licet opus fuiſſet, tamen nos tuto tramiti inſiſtentes, cum prius enemate injecto, tam ventrem, ſatis diu conſtipatum, emolliiſſemus, quam dolores, ſatis urgentes, mitigaſſemus, venæ ſectione ſatis commode, quam plethora requirebat, curationem auſpicabamur. Erat autem tempus anni & ipſa caſtrorum conditio talis: quæ omnem balnearum uſum longiſſime excluderet: quibus tamen alias, in hoc malo tollendo, primæ deferuntur. Cataplasma igitur ex medulla panis, in decocto ficuum ſubacta, & oleis emollientibus, & ob inflammationem refrigerantibus, confectam jucundo cum effectu, renum regioni admovebamus. Quinto demum die cum, recrudeſcentibus quodammodo doloribus, granorum Alkekengi extractum, in decocto radicum petroſelin: exhibuiſſem, cal-*

culo, qui ureteribus impactus diutius adhæſerat, fauſte comminuto, & in ſabulum redacto, non quidem ſine ſtillicidio & ardore urinæ, eundem mictu excrevit: cum ob aſſiduas equitationes, motumq; continuum non recte coagulari, & in ſolidiores grumos concreſcere potuiſſe, ſtatione præſertim excuſſus videretur. Quod autem non in renibus, ſed in anguſtioribus meatibus urinariis calculus delituiſſet, hinc convincebar: quod infra regionem rerum ſe pugione quaſi, hebetiore tamen, quod lateris ejusdem obverſionem arguebat, premi potius, quam confodi diceret: qui tamen dolor, in atomos redacto calculo, ipſo ſtatim momento, prorſus tollebatur, ſeroſo tamen excremento, urina ſatis turbida & ſanguinolenta exſiſtente. Hoc autem cum in corpore plethorico, & ſanguine laudabili diſtento, ex abundantia magis, quam acredine promanare ſtatuerem: cum venæ ſectionem facile ferret, etiam ſecundo baſilicam ſiniſtri brachii cum in fine Autumni eſſemus, pertundebamus. Sanguine autem nec ad menſuram, nec ad amuſſim (quod iſta in caſtris tam ſuperſtitioſe obſervari nequeant) ſic ſatis extracto, etiam hoc ſymptoma facile diſparuit. Verebar enim, ne ſanguis copioſior, & quodammodo viſcoſior, ureteribus impactus, quod ἀναςόμωσι venularum capillarum ex motu violentiore reſerandarum facile fieri potuiſſet, ex cruore concreto inflammationes, oppilationes, & urinarum omnimodas ſuppresſiones tandem concitaret: cum præſertim ex alacri quadam animi magnanimitate armis non facile nuntium remiſſurum eſſe, nobilisſimum Equitem præviderem: utpote qui non minus honeſto, quam periculoſo conſilio patruelem, Juvenem lectisſimum, tunc quidem lienteria graviter decumbentem, ſub idem tentorium, ſortis utriusq; comitem, aſciverat. Huic tamen brevi poſt, Deo medicante, ſalubres manus quoque adhibuimus, ſic, ut fere ſimul & ſemel ſanitatem hæc nobilis & antiqui ſtemmatis ornamenta adepta fuerint.

SCHOLIA.

QVod in caſtris familiariter quaſi & Epidemice graſſentur paſſiones renum, obſtructiones, nempe inflammationes, calculi, quicquid deniq; renibus contra naturam accidere poteſt, nemo mirabitur : qui ad talium morborum cauſſas procatarcticas, tanquam maxime irritatrices, reſpexerit. Duriter enim cum vivendum, durius equitandum, duriſſime perdurandum cum ſit, vel hinc ad oppilationes materiam, ad inflammationes intemperiem, ad calculum vero ſolutionem continui, cuivis etiam probe valenti, corpori inferri poſſe, Medico rationali facile conſtiterit. Non raro enim ſolo caſeo & pane, utroque ſicciſſimo, obſonandum eſt, quibus delitiis ſi turbidioris vini feces ſuperfuderis, hinc vero moleſtioris equitationis concuſſu incalueris, dolores nephriticos, data quaſi opera, concitabis. Ovillis enim & his peculiari quaſi jure gratiſſimi ſaporis caſeis, cum Sileſia dotata ſit, nemo fere eſt: qui non penum tam jucundo & neceſſario commeatu inſtruere ſoleat. Et ſane fateor: urgente fame tales cupedias ambroſiam ſpirare, nec minus interdum iſta gulæ ineſcamenta palato arriſiſſe : quam olim ſemicrudum olus Matthiæ Hunniadi, triduana inedia per Tranſylvaniam oberranti. Nec ſuſpiceris, nimium obfutura ſanitati (modo non prorſus calculis obnoxius ſis) ſi præſertim Zythum potius, quam merum aut aquam coctam ſuperbiberis. Quamvis n. lurcones, nocturno potare mero potare diurno Sueti, maſticatu caſei Baccho litandum ſtatuant: qui ſcilicet lingua illius acredine perterebrata, imis quaſi fibris ſuavitatem vini imbibat : tamen ad congeſtionem bilis, & compingendos coquendoſque calculos plurimum facturum, ſole clarius eſt. Quod ſi inſuper modo integras noctes equis inſidentes excubias agere, vel ſartagine quaſi ahenea

gravioris armaturæ torrebuntur, vel ſuccuſſu moleſtiore materia peccans renibus infarcietur, magis profecto calculoſis tempeſtatibus expoſiti fuerint. In allevandis autem infeſtiſſimis hiſce doloribus, de balneis, ne cogites quidem in caſtris: ſatis ſuperq; fuerit: fomento, eoque ſimpliciſſimo, & tamen ſæpius fructuoſiſſimo, dolores ad tempus diſcusſiſſe. Hi vero, qui ſatis inveteratos calculos ſunt experti, recte fecerint: ſi, quantum fieri poſſit, à cauſſis, eosdem generantibus, ſibi caveant: plus ad utilitatis neceſſitatem, quam jucundius obſonium reſpiciendo. Limum enim & illum non minus lentum, quam copioſum, cum lacticinia, carie vermibuſq; pereſa, gracilioribus meatibus intrudant, quid obſtabit, quo minus, inſtar lateris, in furno cocti calore fervidiore ſuperveniente, tenax materia in calculos induretur. Citius autem præaſſando indurabitur: ſi, loco zythi, vinum muſtumque ſuperinfundetur: quod hoc, argillacea ſua limoſaque craſſitie, luto lutum commiſceat: illud, ſubtiliore acredine per anguſtias penetrans, tanquam vehiculo promtiore materiam conglobandam digerat diſponatq;. Apud plures tamen, quos tunc præ manibus habebam, ex ordine equeſtri Nobiliſſimos tres viros Johannem de Warkuſch, Georgium de Mangolts, & Vexilliferum noſtrum de Birgkhann cum nephriticis doloribus exagitarentur, cataplaſma ſuperius deſcriptum, licet ſimplex recte tamen dolores confeſtim commitigaſſe deprehendi: quod eo dictum velim: in caſtris, ubi paratu facilia ſumtuoſis ſemper præferenda ſunt, plus interdum ad rei gerendæ occaſionem, quam indicationum labyrinthos, reſpiciendum eſſe. Sed ejulatus Colicorum alio nos avocant.

OBSER-

OBSERVATIO SEPTIMA.

SAepius jam decantatum fuit, ob ſtationes, tanto tempore quotidie fere mutatas, diverſiſſimis potuum generibus, vinis præſertim, modo craſſis, turbidis, pendulis & feculentis, modo vitriolum ſapore referente, acredine auſteris, acidis & ingratis, ſummos & imos vivere coactos fuiſſe. Hinc autem Colicos & Iliacos dolores, & paſſiones atrociſſimas, commotas fuiſſe quis eſt, qui non videat? Immaniter n. hæ apud plures graſſabantur: ita ut inter equites ad centum fere, ſimul & ſemel, acerbisſimis hiſce doloribus, excarnificarentur: pedite non usque adeo tali lue correpto. Aſſcribebam hoc duplici cauſſæ: cum quod pedes potius fontibus & ſcaturiginibus, quæ in Vngaria ſuperiore, mineralibus exceptis, ſaluberrimæ, ſitim reſtinxiſſet: tum quod non æque violenti motu, qualis nunquam non equeſtris, vagabundi milites viderentur concuſſi. Diarrhææ tamen his & alui profluvia, pravis nempe ſuccis facile, & quidem in copia collectis familiares erant: illos conſtipationes plurium dierum, & hinc cruciatus Colici ſumme atroces lancinabant. Ex pluribus autem, tunc non tam decumbentibus, quam ob violentos dolores circumcurſitantibus, unum & alterum exemplum in medium adducam: pleniorem rei tam moleſtæ disquiſitionem ad Decadem Pannonicam reſervaturus. In his primas ſibi vendicat Strenuisſimus Dominus Signifer Nobilisſimus a Noſtvvitz, &c. qui ſatis felici ſidere me mature vocans, vix injecto clyſtere, de quo in Scholio ſatis prolixe, non modò dolorum qui maxime deſæviebant, mitigationem, ſed totius morbi rabiem, prorſus conſopitam cum ſenſiſſet, ad hoc medelæ genus plures, qui alias vix ipſæ morte adduci potuiſſent, tanquam ad præſentisſimum remedium (& vere quidem) eſt exhortatus. Cum enim ſub Erigones influxu Sileſia ſita ſit, recte ut Curæus annotavit, ſubruſticus quidam pudor alumnos ejusdem exercet: qui nonnunquam, reclamante ſanitate & ſalute, nimium rigide obſervatur. Multos tamen acerbitas dolorum perennis, & atrocisſima, tandem ut clyſteres admitterent, coegit: cum præſertim ex eventu ſecundiore, qui prima

ſtatim fronte, alma Hygiæa aſtipulante, ſatis auſpicato de meliore fato convincerentur. Accedebat ad ægrotorum felicitatem: quod clyſteres ad hos uſus paratos, & mecum in caſtra cum pharmacopolis in arte exercitatis delatos, in promtu haberem: ſicut ſingulis horis ſex, ſeptem, plus minusve ægris applicari poſſent. Nec enim unicum, toto iſtius expeditionis tempore in caſtris, juxta Strigonium ſemper hærentibus, colicis doloribus correptum videram: quod nos vix non otioſe ſtertentes ex potu, ſecundo flumine minus turbato, & ſic ſatis jucundo conſecutos credo: utriusque hujus rei exceſſu copiis Sileſiacis, ut ante dictum, plus ſatis attritis. Superveniebat his glandium Sardianarum, quas Caſtaneas *vocant, utpote quarum ſaltubus, ſicut & prunorum, Vngaria pasſim conveſtitur, intempeſtivior uſus: qui tamen ſolus ad pasſiones* Colicas *invehendas ſatis eſſe potuiſſet. Quod enim viſcoſiore humido folliculo poris non pervio, in ſartagine toſtæ, cum ſtridore disruptæ, exſiliant, vel cuivis cum notum ſit, quis dubitet, crudas à famelicis latranti ferventique ſtomacho infarctas, corpore præſertim duriore non minus, tumultuaturas? Hic autem nobilisſimus Eques ex honoris & oneris ſui moleſtiis, cum Signifer eſſet, hoc malum paulatim mutuatus fuerat: quod diutius fere ſemper equo adhærens, & in mediis turmis oberrans, naturæ ſæpius urgenti vim facere coactus fuerit, flatibus cum excrementis diutius retentis. Nam & hoc infelix militia in ſe habet: quod ſub dio & in luce hominum verſantibus verecundia plus nonnunquam negotii faceſſat, quam Turca ipſe: quod ſeceſſus ſecretiores ipſa caſtrorum conditio penitus repudiat. Videas igitur nonnunquam liberaliter educatos viros primarios, equis adornatis, longisſime ſe ex conſpectu hominum proripuiſſe: pedites quoque non prorſus caudices longe receßiſſe: quod tamen quanto cum naturæ detrimento fiat, ſatis conſtat. Eadem vis cum ſæpius à Domino noſtro patiente naturæ illata fuiſſet: tandem coorta diuturniore conſtipatione, fecibus induratis,* Colica, *flatulenta quidem, ſed permoleſta, ad triduum correptus fuit: quæ tamen errore externo quodammodo irritata fuit.*

Ave-

Avenam in aqua ebullientem cum linteis duplicatis ventri impoſuiſſet, & æger aeri ſemet exponens ob dolores infeſtiores refrigeratam maſſam nocte concubia ſibi reinjeciſſet, torminibus longe vehementioribus exagitatus fuit. Cum tamen ſummo diluculo Clyſterem anodynum admiſiſſet, obſtructione recluſa, diſcuſſisq; ventoſitatibus ipſo momento melius ſe habuit: & poſt meridiem altero enemate infuſo, perque tres horas priuſquam erumperet, moras nectente ventre, ſalubriter emollito, cum circa umbilicum ol. noſtro laurino inunctus fuiſſet, belle convaluit: reliquos iisdem morbis correptos ad æque profutura media exhortando.

SCHOLIA.

QVæcunq; præter & contra naturam inteſtinis accidere poſſunt: Cauſſæ, Morbi & Symptomata: illis omnibus caſtra neceſſario ſuccumbunt. In his autem, qui Epidemice quaſi graſſantur, ſunt alui fluxus omnis generis, & horum plerumq; prodromi Colicæ, de quibus nunc, de illis in ſequentibus. His autem ſemper vehementiſſimis nulla re dexterius, citius, tutius & jucundius, in caſtris præſertim aciem obvertes, quam clyſteribus, ſed illis ad hos uſus promtis & expeditis, moxque, quod ſemper fere ob dolorum acerbitatem flagitatur, dolorem ſedaturis. Hoc ut conſequare, diu ante ratione modoque, quem ſubjungemus inſtructus, ea tecum deportes: quæ, neceſſitate urgente, nunquam ſatis cito parari, interdum vero nullo modo comparari, maliſque urgentibus opponi, poſſunt. Et primo quidem non ſine gravi conſilio in tormentis colicis clyſteres, ex decoctionibus, & electuariis purgantibus, caſtris exturbandos ſuadeo: quicquid ob dolorum vehementiam ægroti occlament. Hi enim nimis interdum molles fractique, interdum doloribus evicti vel cicutam plenis buccis devorarent: dummodo ad breve tempus à tantis Furiis reſpirare poſſent

poſſent. Horum lamentis ne nimium commovearis: ut opii incorrectis maſſis, vel Philoniis, & Requiebus dolores ſtupore inducendo compeſcere feſtines, moneo. Qui enim tunc morbo ſæviente pugionibus ſe confodi, ſclopetisque ſe trajici flagitaverint, brevi poſt, mente prorſus mutata, necem tibi comminari, diraſque precari audies: ſi paulum pharmacis ſanitatem læſam offenſamque animadverterint. Plures enim, qui recte ob nervos tendineſque exareſcentes & corrugatos, manibus pedibuſque abſque ullo motu flacceſcentibus contracti vocantur, cum in regionibus viniferis obviam habeant, qui prægreſſis cruciatibus Colicis primo labem aſſignant, non immerito de ſubſecutura contractione ſibi cavere volunt. Et ſane, ſi per plures continuaſque injectiones & clyſmata, inteſtina ſæpius eluantur, ſic ut marcorem quendam induant, nativumq;, & natura ſolertiſſime diſpoſitum mucorem, viſciditatemque toties abraſam tandem amittant, decoctiones vero ex herbis diverſis exhalationes ſubtilioribus vaſis, quæ humoribus occluſa eſſent, immittant: evenit utiq;, ut vel ex hoc ſolo calamitoſæ, diuque duraturæ paralyſes ſubſequantur. Videas igitur paſſim in ipſo ætatis flore utriuſque ſexus homines reſolutos contractoſque: quos omnes intolerantia paulo delicatior, quod mori maluerint, quam ad breve momentum dolores mitigandos perferre, in tantas miſerias conjecit: ut alienis manibus & pedibus vitam ducere cogantur. Has autem Syrtes ſæpius effugerent, niſi Medicos interdum nolentes ad dolores tollendos & prorſus eliminandos, ſumme ſemper noxiis ejulatibus, vi cogerent. Sunt ſane dolores Colici immaniſſimi; longe tamen, ſecundum majus & minus, inter ſe diſſidentes. Nollem igitur quibuſvis decoctionibus carminativis, dolores mitigantibus, purgantibus deniq; & quidem ſalſugine nonnunquam nimia, alvum irritantibus, ac inteſti-

inteſtina excoriantibus, paſſiones colicas conſopiri: cum tutioribus, & contractiones non introducturis remediis, malo commodius obviam iri poſſit. In tutiſſimis autem agnoſco clyſteres, ex puris putis oleis nulla humiditate prorſus admixta conſtantibus, & ad uſum caſtrenſem hoc modo paratis. Seſquicentum libras olei communis & laurini, partibus æquis recipiebamus: in his menſe Junio, quo florentiſſima Auſtria præ reliquis cis Alpinis terris cunctis fere ſimplicibus viret, vigetq; , herbarum aperientium, emollientium, laxantium, abſtergentium, deoppilantium, & flatus diſcutientium manipulos virides tamdiu decoquebamus: donec omni prorſus conſumta humiditate oleum ſolum remanebat. Conquiſierat hoc ex herbis ſimul ebullientibus aromaticum quendam odorem: conſiſtentiam paulo craſſiorem: ſic, ut exterius jucunde in cunctis paſſionibus Colicis pro unguento anodyno uti poſſem. Hoc vaſis cypriis, ſtanno obductis exceptum tanta commoditate deferri, inque miſerorum ægrorum ſalutem erogari poteſt (in cunctis fere ventris inferioris morbis) ut nihil fere ſupra. Quoties enim ad hanc aram confugiendum eſt, illico libram plus vel minus hujus Panacææ modico Vulcano tepefaciendam, ſyphone injicere poteris: e veſtigio miras & ſuaves illius operationes experturus. Foris vero circa umbilicum eodem calido admoto, cuivis Æſculapio æquabere: cum ventoſitates, murmura, tormenta & contorſiones inteſtinorum, modo alvus tepide foveatur, quaſi ſilentio injuncto, apud pleroſque conticeſcere ſoleant. Quinimo ſola veſica, cui clyſtere injiciendum incluſum fuerat, ob doloris atrocitatem, umbilico ſatis calide impoſitum, apud nobilem quendam, dolores omnes colicos ita mitigaſſe vidi; ut, alvo relaxata, per ſe erumpentibus flatibus, illius injectioni ſuperſederemus. Imo cum ob nimium infeſtos dolores qui-

dam cereviſiam calidam, loco butyri, tanquàm unguento potabili viridi, condiviſſet, & illam ſatis forti hauſtu abſorpſiſſet, alvo lenita, plures quam viginti vermes maximos per inferiora rejecit. Oleum enim laurinum tam illitum, quam aſſumtum, peculiari quadam vi vermibus reſiſtere nemini non notum eſt. Hic autem vermibus; inteſtina lancinantibus rejectis, confeſtim quoque ex doloribus (quos, ſed falſo, iliacos eſſe putarat) reconvaluit: nec ab illo uſque tempore, cum menſe Majo Anno 1601 idem non longe à Sopronio hæmorrhagia interiret, de torſionibus aut paſſionibus ullis, quæ prius ob vermes, quotidianæ erant, eſt conqueſtus.

OBSERVATIO OCTAVA.

INter omnes, qui atrociſſimis Colicis cruciatibus excarnificabantur, omnium maxime, Strenuiſſimus Locumtenens Equitum nobilis à Tſchirnhauß, &c. cujus memoria ſit in benedictione, torquebatur. Tam enim atrociter deſæviebant: ut ex vitrea pituita, omnium frigidiſſima, illos exaggerari ſtatuerem. Nec enim ad breve momentum dolores remittebant: Domino Patiente continuis vigiliis & torſionibus vix non ad mentis abalienationem deducto. Huic quamprimum ſeſquilibram oleorum, cum procerioris ſtaturæ habitusque corpulenti eſſet, infundi jubebam, actu, quantum fieri potuit, ſatis calentem: quod frigidiſſimum phlegma nulla re magis, quam calore actualiter in frigus agente, frenari coercerique poſſit. Foris quoque venter imus, præſertim circa umbilicum, anodyno noſtro inungebatur; ſtraguliſque injectus quamdiu fieri poterat, clyſter retinebatur. Interno autem externoq; calore coingruentibus madore commode ſuperveniente, cum per plures noctes pervigiliis defatigatus fuiſſet, paulo plus placide obdormivit, ſic ut expergefactus, clyſtere tandem reddito, doloribus omnibus prorſus conſopitis, ab inferorum portis

tis ad vitam quaſi revocatus videretur. Abraſerat autem Enema diuturniore mora phlegmatis vitrei magnam vim: qua penitus abraſa, dolores omnes (ſublata cauſſa materiali & efficiente) licet alias ſumme efferos lethaleſque tã ſubito diſparuiſſe minime mirandũ eſt. Cũ autẽ etiã hereditario quaſi jure colicis doloribus facile ſuccumberet, ut deinde quantum fieri poſſet, ab omnibus pituitæ vitreæ materiam ſurrogantibus abſtineret, eundem exhortabar. Hoc cum per biennium ex præſcripto noſtro pro virili obſervaſſet: tandem tamen Anno 1602. in motibus illis Tranſylvanicis compeſcendis occupatus, cum ob errores in diæta, multis præſertim peponibus comeſtis, alvo duriore in acerbiſſimas paſſiones colicas reincidiſſet, brevibus ſed continuis & infeſtiſſimis doloribus proſtratis virib. ita exhauſtus eſt: ut ſeptimo die ſacris prius Chriſtiano more expiatus, fatis conceſſerit, apud plures ob varias corporis & animi dotes flagrans ſui deſiderium relinquendo. A primo autem morbi fatalis funeſtiq; limine ad ultimum agonem usq;, ſuſpiriis ex imo corde ductis, cum remedia omnia, nec morbum, nec ſaviſſima ſymptemata, vel minimum mitigarent, ad has ſibi tam ſalutares, & ipſo momento juvantes, medelas, quibus hoc 1599 anno curatus fuerat reſpexerat: ſeque certo, ſi modo illarum denuo compos fieri poſſet, ſanitatem recuperaturum confirmaret. Hoc autem, licet non perpetuo verum velim, tamen his ipſis clyſteribus eo, quo ſupra dictum fuit, modo paratis, in colicis, & omnibus fere inteſtinorum malis, in caſtris & Vngaria præſertim, primas ſemper, ipſa nobis experientia liquido ſuffragante, defero: Cum & hoc utilitatis ſecum ferant: quod tuto applicari, cito parari, jucunde vero morari & munus ſuum præſtare poſſint & ſoleant. Ad peponum eſum quod attinet, quibus piæ memoriæ à Tſchirnhauſ, &c. ſemet intoxicaverat, mallem non aſſuetos ab ejusmodi delitiarum frequentiore eſu ſibi temperare. Palato quidem apprime blandiuntur, & meraciore defecatoq; potu ſuperfuſo jucunde refrigerant & humectant: quod utraq; frigiditatis & humiditatis ſummæ qualitate plurimum excellant. Hæ autem diarrhœas, ubi laxiores alvos, illæ paſſiones colicas, ubi conſti-

patas adeptæ fuerint. promte excitari poſſe ſatis conſtat. Hinc minus mirum, ſi ex unius etiam peponis, vel parum, aut nimium maturi (uterque enim æque inſalubris, cum ille crudus, hic flaccidus, & ad putredinem diſpoſitus ſit) comeſtione pro diſpoſitione aſſumentis, modo obſtructiones, modo ventris turbationes, excitentur. His enim, inter multos alios, magno Reipub. Chriſtianæ damno diarrhæis è medio ſublatus, Illuſtrisſimus Carolus Mansfeldius intempeſtive ſuccubuit: cum poſt felicem cum Turcis conflictum, exæſtuanti hepati fortiorem hauſtum, ſtomacho languenti peponem permaturum, ſacchare, ut moris eſt, conſperſum obtruſiſſet. Nam his inter ſe concurrentibus ἀσυμμελέιοις facile effectum eſt: ut humoribus, diverſimode commotis, hepatis parenchymate vix non prorſus diſſoluto, lethales alvi commotiones, ad finem usq; vitæ, deſævierint. Reſtat ut de ſtercore lupino, cui alias in doloribus Colicis compeſcendis magna vis aſſcribitur, brevibus ſubmoneam: Illud non niſi corpore per Enemata ſecluſo in uſum admittendum. Cum enim inter plures alios etiam hic Dominus Tſchirnhauß noſter in vino generoſo ſeſquidrachmam illius, ventre prorſus conſtipato, epotaſſet, non modo non melius, ſed longe peius deinde ſe habuit: quod apud plures alios uſu veniſſe ſum expertus. Subſcribendum igitur ejusmodi medicamentis ſemper cum ratione methodica medendi ſumme conſultum puto: quod natura morborum & ſymptomatum tyrannides etiam expertisſima ſæpius alias in ſimilibus morbis remedia non ſine cauſſa faſtidiant.

SCHOLIA.

VT omnibus morbis Vngariæ caſtrorumque importunitas iniquiſſima eſt: ſic præſertim paſſionibus imi ventris inviſiſſima, imo ſæpius exitialiter lethalis eſſe ſolet. Væ igitur illis, qui colicis iliacisque doloribus aut profluviis diverſiſſimis & vulgatiſſimis, correpti fuerint, ſi non duplici ratione ſe tueri conabuntur. Harum prima eſt: ut ſedulo ſeme-

lo ſemetipſos reſpicientes omnes eo neruos intendant : ne quid temere committatur: quod deinde nulla ratione corrigi poſſit. Altera eſt: ut quiſque de fido Achate & circumſtantibus, in ejuſmodi malis, ſummopere deſideratis, mature ſibi proſpiciat. Quot n. hominum millia duobus his luſtris morbis è medio ſublata ſcio, inter illos homines, qui niſi omni ope humana, interdum etiam minima, deſtituti fuiſſent, facile evadere potuiſſent. Non eſt igitur, ut tantum cœlo ſoloque hoſtili, quod cum reliquis Europæ terris plurima communia habet, funeſtiores expeditionum eventus aſſcribantur: cum homo homini Sathan ubiq; locorum eſſe poſſit. Sunt ſane hac in parte mancipia Mahometica, nobis Chriſtianis longe ſibi fideliora, & magis devincta: cum non modo in decurias deſcripti, tam ſcite diſpoſitis officiis alter ad alterius placitum ſe accommodent; ut ſanitatem facile tueantur, ſed morbis quam minimis correptos, ſumma fide & plus quam fraterna benevolentia complectantur. Dum n. hic tentorium ſolo affigit; alter aquatum, tertius lignatum, quartus pabulatum tendit: quintus penum inſtruit: ſextus coquum agit: reliqui imperando & faciendo ſunt occupati: ſumma frugalitate ſimul comeſſantes hoc aſſequantur: ut aut injurias morborum facile à ſe repellant: aut eoſdem obrepentes partim abſtinentia, partim mutuis officiis citius evincant. Vt igitur Turcæ nullis fere inteſtinorum torſionibus vel profluviis obnoxii eſſe ſolent: ſic noſtrates à ſummo vertice ad imos talos uſque (ut dicitur) inter ſe diſſidentes, ejuſmodi Furiis Epidemice quaſi ſuccumbere & occumbere coguntur. Meſpila enim, caſtaneæ, avellanæ, vuæ, pepones, poma & pyra, pruna, fructus deniq; fugaces omnes, cum miles noſter in delitiis agnoſcat, & illos veſana prorſus incontinentia ingurgitet : quis mirabitur, corporibus pravorum, acrium, mordacium & impurorum

ſuccorum ſentina coinquinatis, ingluviei helluones pœnas ſumme meritas daré. Meſpila quidem quod etiam ad quaſvis diarrhæas faciant, modo cum ratione fuerint comeſta, dudum diximus: quod vero ſedibus naturalibus impeditis Colicas, imo iliacas paſſiones, ſi præſertim ciborum potius ad ſanitatem, quam bellariorum ad voluptatem ratione, devorata fuerint, excitare poſſint, cuivis eſt in confeſſo. Nocentiores his Caſtaneas proclamamus: cum vel ſolæ flatulentæ ſuæ viſcoſitatis procellis ſpatioſos coli anfractus diſtendere & diſtorquere poſſint, craſſioris ſuæ ſubſtantiæ ſaburra, graciliores meatus infarciendo. Avellanas autem fruticetis colurnis paſſim obvias familiare quaſi dyſenteriis & lienteriis fomentum præbere, nemo neſcit. Uvas autem, & illas aut ſubauſteras, aut permaturas, has diarrhæas, illàs tormina & inteſtinorum eroſiones inducere, per ſe liquet. De peponibus tamen, in Auſtria Plötzer dictis, in Vngaria longe humidioribus & vix non maligniore qualitate imbutis, paulo diſquiramus: cum ſæpius incautiores, & qui tam ſuſpectas cupedias potius ex ineſcamento gulæ, quam ex damno ſubſecuturo metiuntur, ejuſmodi delitiis, priuſquam animadvertant, circumveniantur. Alit Vngaria, & quidem in copia profert pepones, ingentis aliquando molis: qui menſe præſertim Auguſto à ſummæ & imæ conditionis militibus maxime expetuntur. Et eſt ſane ſingularis munificentiæ DEI paternæque providentiæ exemplum: quod vinis, præſertim ſub Sirio nimium efferveſcentibus hæc humiditatis & frigiditatis jucundæ, licet in exceſſu contemperatæ delitiæ ex diametro opponantur, ſicut apud aſſuetos & cum calida, ſiccaq; intemperie colluctantes, peponum uſum minime redarguerim, imo commendaverim, modo non ſub melle venena deliteſcant. Vocabar n. Anno 97 ſub Illuſtri Domino D. Comite de Hollach, &c. ad præfectum quendam ſelectiſſimæ

ſimæ turmæ Norimbergen. qui cum poſt meridiem ſatis magnum peponem comediſſet, & hauſtum vini dilutioris Rhenenſis, cui ſemper ob longinquius iter cum Neptuno res eſt, ſuperbibiſſet, ſyncope correptus illico obmutuerat: ſic ut extreme refrigeratus, & ſudore frigido erumpente, animam agere videretur. Cum n. ob maximam cognationem, quam os ventriculi præ reliquis omnibus humani corporis partibus cum corde obtinet, frigidus humor, ſtomacho impactus, & hauſtui, forti quidem, ſed aquoſo ſupernatans, ob vicinitatem cor violenter afflaſſet, tam gravia ſymptomata inſecuta fuerant. Aſtantes autem licet de toxico exhibito tumultuarentur, quod nudiuſtertius hoſtili cœnæ interfuiſſet: tamen cum belle ſe antea habuiſſet, ut ex rejectis corticibus, caute quid factum eſſet, ſubodorarer, tribus guttis extracti croci, aloes & myrrhæ in cochleari vini, cum paulum poſt frictiones ſe recollegiſſet, exhibitis, enormis vomitus ſimul cum fruſtis integre fere ob lubricitatem deglutiti peponis erupit, quo vix ceſſante recte ſe deinde habuit: cum Elixir illud, quod vocant, Proprietatis, etiamſi venenati quid obtruſum fuiſſet, Lernam tamen omnem commoviſſet. Poſt cœnam, ſatis frugalem, quod ventriculum vomitu vehementiore conturbatum diſtendi nollem, cum prolixe, peponem tantum & vinum dilutius ſyncopen induxiſſe conteſtaremur, contra hoc proteſtabatur: quod Norimbergæ ex tribus & quatuor etiam, urgente ſiti, peponibus comeſtis, & nullo, quam Rhenano, nonnunquam Neccareo vino ſuperhauſto, nihil unquam damni ſenſiſſet, multo minus lipothymias: quas non aliunde, quam ex deleterio, clam propinato inductas fuiſſe ſuſpicabatur. Poſtquam autem conceſſiſſet, Rhenana & Neccarea vina, quæ in Vngaria vappam potius, quam merum ſapiunt, in inclyta Norimberga multo generoſiora, reliquos quoq; calculos facile exemi. Demonſtrabam enim

pepo-

pepones Noricos Pannonicos longe poſt ſe relinquere: quod illi ſolerti cultura in apricis, & mediocriter arenoſis, glareis ſuccreſcant: & ad maturitatem deducantur: iſti vero, hùmi tantum repentes, nullo vere ſtudio ſponte ſua plus ab umbroſis locis humiditatis & molis, quam à peruiis radiis ſolaribus ſuavitatis & maturitatis mutuentur. Maxima enim copia peponum ex Congeſtis (quæ trinis Danubii alveis in plures inſulas ſejunguntur) ad caſtra deportatur: qui ob ſuperabundantem humiditatem nunquam non ſuſpecti fuerint. Accedit, quod ex ſemiputribus glebis noxium quid & virulens, tuberum inſtar exſugant: quod deinde non ſine gravi damno veſcentibus infundunt. Quinimo ipſemet cum in pago non longe infra Piſonium in iisdem Congeſtis de pepone vix parum guſtaſſem, ſtrangulationem vix evitasſem: niſi forti vere Vngarici vini hauſtu cicutam diluiſſem: quod tamen factum fuiſſe non mirabar: poſtquam mihi poſcenti locum, quem peponibus deſignarat, monſtraviſſet. Altiſſimis n. arboribus opacus, data quaſi opera ſole excluſus ad nullam minus quam peponum ſementem commodus erat: ita quidem, ut ſolo ſapore, qui gratior videbatur, fungis & tuberibus præferendi crederentur, ab hortulano plus ſatis ignavo & imperito terris extracti. Tales autem nævi in diæta caſtrenſi cum quotidie enormiter committantur, Phyſicus prudens ut lyncea mentis indagine tam repentinis quod ſæpe fit caſibus coingruentibus circumſpectet, magnopere invigilandum erit: cum nonnunquam ex unico verbulo, fortuito caſu prolato, plus honoris & emolumenti, quam ſi ſummis animi & corporis contentionibus integram legionem morbis eripuiſſet, ſit relaturus.

OBSER-

OBSERVATIO NONA.

Ex pluribus, qui mala victus ratione, non quidem ſpontanea, ſed ſic tempore & occaſione exigente, Ileo ſive Iliaca paſſione corripiebantur, unum & alterum in medium, ſed paucis producemus: quod doloris atrocitati morbus potius quam ſymptomatum graviorum fœditati innixus fuerit. Strenuiſſimus enim & nobiliſſimus Eques à Stotritz, Liberi Baronis à Kitlitz, &c. Signifer cum ob languorem ſtomachi, ex diverſis cruditatibus obortum, vino cydonite (quod paſſim vineta cydoniis in Vngaria ſint interſepta) uſus fuiſſet, duriore conſtipatione pedetentim introducta, in gracilioribus inteſtinis acerbiſſimi dolores primo interrupti, mox continui deſævire cœperunt: ſtomachi fundo ſic ſatis vi ſtyptica vini corrugato: ſed ipſo ſtomacho ſemper fruſtaneis ad vomitum everſionibus tumultuante. Exhibebamus, cum ſtatim vocaremur, glande peracuta ſuppoſita ℈j. Panchymagogi communis (quod bolos aut potiones purgantes difficulter admiſſurus & illico rejecturus videretur) quo in pillulas VII minores conformato cum uſus eſſet, & paulo poſt ſumma cum cautione Enema noſtrum anodynum ad ℥xv. injectum eſſet, Epigaſtrio tepide præſertim circa umbilicum & pinguiter ſæpius inuncto, die nondum ad crepuſculum ducto, dolores ſatis mitigati ſunt, ſic ut hordeatum ad cœnam boni conſuleret. Cum tamen tam repentinæ metamorphoſi in melius non ſatis fiderem, jam ad ſomnum ſe componenti Domino ægro Laudani tria circiter grana ex malvatico exhibebam: quibus usque ſub diluculum ſatis tranquille conquievit. Expergefactus vero cum tandem de torminibus circa umbilicum reverſuris, male ominaretur, denuo clyſtere injecto malo prævenire voluimus. Hoc poſtquam dextre quod debebat præſtitiſſet, quæ prius tentare non audebamus, Olei amygdalar. dulc. recentis nuper Vienna allati ℥ij. in malvatico calido feliciter exhibebamus: quo cum tunicæ ventriculi dextre fuiſſent erugatæ, nullis deinde Iliacis doloribus, quod ſciam, contorſus fuit.

Alter vero nobilis de Bulavv, Illuſtriſſimi Ducis Techinenſis eodem anno à ſervitiis, puer 14. *annorum, cum forte cydoniis coctis ad nauſeam usq; uſus fuiſſet, in gracilioribus inteſtinis de doloribus Iliacis, cum ſubverſione ſtomachi asſidua doloribus atrocisſimis ſemper urgentibus conquerebatur. Anno autem ætatis critico, decimo ſeptimo, agente verebar, ne forſan febris aut graviora ſymptomata ſimul coinciderent: cum præſertim error commisſus eſſet.* Coquus enim *ſuomet conſilio aromata varia, groſſo modo inciſa, calide in vino epotanda propinarat, flatus ructusque hoc ſolo alexiterio diſplodi dejerans: unde non ſine ratione dolores exacerbati fuerant.* Cum *jam ſero veſpere vocatus fuiſſem, re intellecta, hypochondria, quæ ſibi potisſimum disrumpi clamitabat, ſimul cum orificio ventriculi & umbilico ſæpius inungi jubebam: quod cum vix factum fuiſſet, enormi vomitu vinum & aſſumta prorſus rejecit: & paulo poſt injecto enemate, & hic parvulus eques fato ſubtractus fuit. Idem ſucceſſus tres pedites Sileſiacos, tunc temporis quoq; cotoneorum ſemiaſſorum, duos meſpilorum adhuc immaturorum, ingurgitatione ad Ileon devolutos ſatis optato cum eventu excepit: quorum priores ſola inunctione, ceteri ob ſpisſiores obſtruentis materiæ ſalebras epoto anodyno noſtro, cum tenuioris fortunæ eſſent, à doloribus ſunt liberati. Etſi enim unguento rubro potabili paulo ingratius eſſet: tamen olei laurini odore herbis ſuaveolentibus ſatis retuſo doloribus præſertim inſtantibus haud gravatim miles gregarius butyri loco in cereviſia liquefactum abſorbebat. Ileon autem perfecte rabioſum cum asſidua nempe excrementorum rejectione: quæ usque ad mortem indeſinenter donec enecaret, deſæviret: tunc in locum tenente quodam peditum unius vexilli forte fortuna deprehendebam. Tamdiu n. (destitutus ſcil. omni auxilio & conſilio) dolores ſupprimere conatus fuerat, donec acerbitate doloris proſtratus, & ſtomacho momentaneis everſionibus ex ipſo colo excrementa retrahente, cum jam quovis carbone nigriorem materiam rejiceret, & forte præterirem; mox eundem exſpiraturum prædixi: quod etiam me vix digreſſo cum Tragico boatu animam*

mam exhalanti ſtatim evenit. Poſtquam autem cauſſas tam funeſtæ rei à commilitonibus perquirerem: intellexi eundem prava conſuetudine vitiis eo prolapſum fuiſſe: ut ſine horrendisſimis blasphemiis vel verbum proloqui nefas putaverit. Vindicis igitur Dei cum ſæpius in ejusmodi Sacrilegis præſentisſima exempla vidiſſem: ſtatuebam & hujus os & linguam ſceleratam cœno & ſtercore juſtisſime defædatam: cum ſæpius antea ex faucibus ſacrilegorum cruſtas quasdam piceas, aſphalto ſimiles, quæ prunis impoſitæ bitumen redolerent, revulſiſſem. His autem linguas ſacrilegas non anginis tantum, ſed ex ipſo amne Phlegethontæo ipſaq; palude, pice & ſulphure in æternum deflagratura, conſperſas infectasque fuiſſe, ſumme vereor. Sed de his alias. Reſtat ut de vino cydonite, quo patiens Dominus Signifer à Stotritz diutius uſus fuerat, brevibus agamus. Conciliat ſane catoneum jucundiorem ſaporem vino: cumque vi ſtyptica præpolleat, non ſemper, profluviis præſertim, aut imminentibus aut deſævientibus in caſtris eſt repudiandum, quod tamen corpore vel ad minimum ſtomacho prius non evacuato, cibis interbibi non debeat, rationi conſentaneum eſt. Objecto enim quaſi obice pravi humores in ventriculo concluduntur: qui alias per pylorum ſponte ſua eſſent dilapſuri. Adde quod acore ſuo blandiore villis ventriculi compunctis appetitum ſuſcitet: qui tamen, ſi plus quam belle concoqui, & juſta ad digeſtionem humiditate huc illuc deduci posſit, ventriculo infarciat, vino cydonite ſuperfuſo, brevi poſt obſtructiones in gracilioribus præſertim inteſtinis maturabit. Nam & hoc familiare ſibi obtinet vinum cydonites: quod ſemper ſui poſt ſe deſiderium relinquat: & quidem nec pitisſari velit, nec potari posſit: hoc nimias conſtipationes comminante, illo ſitim magis urgentem irritante.

SCHOLIA.

VT nulla fere tellus eſt, cui non clementia Jehovæ ſalubribus remediis tantum proſpexit: quantum juſtitia DEI morbis populariter fere graſſantibus eandem depreſſit: ſic etiam noſtra Vngaria, Germanis corporibus, ut in Decade prima demonſtratum eſt, inviſiſſima, morborumq; & languorum fœcundiſſima, ſaluberrimis paſſim plantis, fruticibus & fructibus, ex quibus ad quemvis affectum terræ quaſi ſympatriota, Panaceam mutuari poſſis, paſſim nobilitatur. Luxuriant equidem in hac fertiliſſima terra plantæ plus quam alibi: quod Marte ubique graſſante, felix agricultura exerceri nequeat: & tamen pleraſq; non minus probi, potentiſque ſucci experiere, quam ſi neſcio quibus viridariis producti fuiſſent. Sane cum Anno 97 juxta Jaurinum metatis caſtris munitiones ex longinquo obiremus, rotarum plurimarum ſimul protractarum attritu, vel menſe Septembri herbas quamvis Panacæam ſpiraviſſe, mihique aere Papenſi vix non enecto, vitam quaſi reddidiſſe, jucunde recordor. Poſteaquam autem primo præſertim Anno in Agyrtarum meorum plus quam Pharmacopolarum caſſes incidiſſem, nunquam profecto memet extricaſſem; niſi ſimplicium ubique luxuriantium cognitione fretus, ex ipſo caſtrorum ambitu, plurimis ſæpe morbis pharmaca vel ipſemet conquiſiviſſem, vel ægrotantibus demonſtraſſem. Sola equidem meliloto, quæ nuſquam non obvia erat, plures jam torminibus correptos, & in primo ad diarrhæas gradu hærentes, viridi ſacculis impoſita à doloribus liberavimus: conſtipationes vero diuturniores prunis Vngaricis recentibus & maturis citius, quam quavis manna relaxavimus: perflu via alvi toſtis acidiſq; cotoneis conſtrinximus: decoctis vero diverſarum plantarum pluribus & quidem graviſſimis morbis

pro

pro re nata obviam ivimus. Hæc eo dicuntur: quod Phyſicus caſtrenſis, præcipua ſemper indicatione curandorum ægrorum à marſupiis decumbentium ſumta, ad id quod ante pedes eſt, utplurimum reſpicere debeat: cum ex naturali penu ad morbos præternaturales curandos plus ſæpe quam ab artificialibus officinis exſpectare poſſis. Cotoneis autem iiſque maximis pulcerrimiſq; & ſæpius nullo negotio comparandis cum Pannonia ſcateat: plures rei non imperiti, ſicut & ex prunis ſylveſtribus, contra diarrhœas vina ſtyptica parant: quæ quidem, ut in his conſtringendis ſua laude & ſane ſumma non ſunt defraudanda: ſic non quovis tempore, corporibus præſertim cacochymia refertis ingurgitanda, rationibus obvium eſt. Fortem enim vim conſtipantem tam pota, quam comeſta cydonia, cum ſint ſortita: non mirum eſt, ſi colici iliaciq; dolores ex promiſcuo eorundem uſu corporibus impuris excitentur, qui magno ſæpius negotio, ſi præſertim venæ meſaraicæ ſuctu familiari coarctatæ fuerint, diſcuti leniriq; poſſunt. Quod ſi tamen vinis & epulis hiſce conſtipantibus, vehementiores dolores excanduiſſe ſenſeris: tanquam ad ſacram anchoram tuto ad clyſma noſtrum anodynum confugere poteris: diſcutientibus ipſis exhalationibus; etiamſi ipſa ſubſtantia intimum penetrale loci affecti ſubire nequeat, obſtructiones blande recluſurus. Ileon n. malum graviſſimum & acerbiſſimum, licet præſertim exacte ſummum rarius occurrat: tamen corrugatis viis anguſtioribus plus ſæpius negotii facit, quam ſi craſſiore materia in colum dilapſa torſiones licet crudeliſſimas excitet. Meſpila autem præſertim immatura quanta vi conſtringente prædita ſint, quis eſt qui neſciat? Et tamen ſæpius hanc gazam, quam Pannonia noſtra etiam hic prodigaliſſima, ad fluores ſiſtendos repoſuerat, à lixis & calonibus ad gulæ tantum parentandum, magno ſuo malo ſæpius decerptam vi-

di. Si vero aliquando ad eſum glandium, dura urgente fame & neceſſitate perventum fuerit: quis adamantinas conſtipationes inde inducendas ignorabit? Cum enim Anno 94 plures, & in his pharmacopola quidam caſtrenſis fuga dilapſus per Congeſta die noctuque vagabundus diutius oberraſſet: & ex cornis, glandibus, fagi fructibus, prunis ſylveſtribus, famelico ventri obſonare coactus fuiſſet; tantis obſtructionibus correptus fuit: ut Viennam relatus, nulla plane arte, nullo molimine, quodcunq; tentatum fuit, alvus relaxari potuerit. Idem plurimos, & in his nuper anno præterito ex Vngaria reverſos milites, qui auſpiciis Illuſtriſſimi Principis & Domini Dom. Henrici Julii &c. in Vngaria hyberna habuerant, conqueſtos audivi: cum ſcilicet in ſummo annonæ defectu glandes ſub imis nivibus ſepultas ad victum anxie conquirere, & latrantibus viſceribus objicere eſſent coacti: unde graviſſimorum morborum exacerbationes neceſſario recruduerunt. Et hæc de conſtitutionibus in caſtris una cum torſionibus & paſſionibus colicis, quarum prodromi ſunt, & quibus nonnunquam ſæpius exacerbantur, paucis dicta ſint: his ſumme contrarias alvi fluxiones, diarrhæas, dyſenterias, & lienterias, quæ Phyſico caſtrenſi, ſi uſquam locorum, certe in Vngaria plurimum negotii fecerint, unico jam in medium adducto exemplo, per tranſennam porro inſpiciamus.

OBSERVATIO DECIMA.

QVi dyſenteria pura & exacta Pannonica correptus fuerat, Nobiliſſimus Juvenis à Temeritz, &c. Illuſtris & generoſi Comitis de Turre, &c. à ſervitiis nobilioribus, & ut commodiſſimus,

mus, ſic acceptisſimus, annorum circiter octodecim; ſtatura tamen ætatem excedente, & vix non virili: jam cum vocarer, ad maciem deductus erat, ſic ut ſanguine violenter erumpente, viribusque jamdudum proſtratis, mortem imminere prædicerem. Etſi n. D. Comes hunc fide, alacritate, & induſtria cognitisſimum, & idcirco gratisſimum ſibi juvenem ſumma benevolentia complecteretur: & miniſtris ſerio in mandatis dediſſet, ut me quamprimum ad decumbere incipientem deducerent: tamen vel livore vel negligentia domeſticorum res tamdiu procraſtinata fuit: ut, poſtquam ab ipſo Domino Do. Comite ad languentem deductus fuisſem, conſilio jam non amplius locus eſſet. Quodcunq; tamen in re deſperata præſtari tentariq; poſſet, foris & intra, ſupra & infra Emplaſtris amygdalatis, potionibus & clyſteribus ſedulo imponendis, offerendis, & exhibendis & injiciendis, nec ſumtibus nec operæ parcendo, ſi qua tandem ratione ſanguinis indeſinenter erumpentis motum inhibere poſſemus, fruſtra tamen tentabamus. Quodcunq; n. offerebatur promtisſime admittebat: cum in ipſo juventutis flore, in tantis præſertim tormentis, mortem violentam naturaliter formidaret. Vtebamur quidem ex oryza, amylo, amygdalis, in lacte chalybeato decoctis ſuavioribus pulticulis: & tamen etiam ex glandibus myrtillis, ſiccis ſeminibus deniq; plantaginis, acetoſæ, antheræ, nec non pyris ſiccatis & cydoniis ingratiores nonnunquam epulas inſtruebamus: quarum tamen neutras, amore ſuavisſimæ lucis, faſtidiebat. Etſi autem detergentibus & conſtrigentibus clyſteribus aliquid tandem effectum videretur: tamen ex multis ſignis lethalibus, labiis liventibus, genis præter naturam rubentibus, oculis concavis, naſo aquilino, & partibus extremis frigidis, non ventre, ſed ventris loco, & eo quidem leberide ſicciore remanente, mortem præ foribus eſſe ſentiens: ad dolores ſaltem mitigandos, & placidius fati genus inducendum, ſuperius bis vel ter Philon. Roman. ℥j. vicibus ſingulis: & laudani aliquot grana alternatim ſubminiſtrabam: clyſtere tandem anodyno, & plurimum dolores, etiam cum ſpe quadam, licet vana, conſopiente injecto.

Nec

Nec enim poſtremum eſt humanitatis Medicæ ἄσυλον: ſi, inevitabilis fati hora ingruente, in caſtris ad hunc quaſi portum morituri deducantur: ut, doloribus interdum muſſitantibus, animo & anima reſpirantes Cygnæis cantionibus mentem intendere poſſint. Quos enim fremitus & gemitus dolores ſæpe furiales in ejusmodi morbis, quoad dolores peracutis, quoad tempus chronicis, extorſerint, non ſine ſtomacho recordor: qui præſertim hoc in morbo, ubi ratione ſemper ad lethum usque conſtante non poſſunt non in Deum contumelioſi eſſe, plurimum ſunt deteſtandi. Hic autem noſter Temritzius, militans bonam militiam, præterquam quod patienter morbum per ſe graviſſimum perferret, tandem quoque cum mors ipſa, quæ florentis ætatis & ſortis juveni metum primo incuſſerat, palam deriſa fuiſſet, tanquam dormituriens ad Chriſtum emigravit. Erat autem procerioris ſtaturæ, membris ſubtili gracilitate non quidem deformibus, ſed tamen iis, quæ morbi tanti, perpetuoq; fluore ipſam corporis ſubſtantiam depopulantis diuturnum impetum nullo modo ſuſtentatura eſſent. Moribus erat ingenuis & candidis: quæ quidem res utpote Domino Domino Comiti fideliſſime aſtanti apud aulicos fraudi fuerat, ita quidem, ut ſæpius etiam mandante Domino Domino Comite, non prius tamen me convenerint, quam juvenili vigore jam concidente res omnes in anguſtias eſſent redactæ. Poſtquam enim primo ſtatim ingreſſu faciem Hippocraticam intuerer; & illam talem, qualem omnium, dyſenteriis enectorum, fuiſſe ſciebam, actum eſſe confeſtim confirmabam. Præceſſerant ſordes Oeconomi ſuæ Magn. qui furtiva frugalitate ſæpius feces vini minore pretio coemerat, quas urgente ſiti parum animadverſa, fraude, ex ſcyphis ſtanneis, aut lagenis ignara Juventus epotarat. Nam & paulo ante iisdem artibus in eadem aula trifur iſte Vratislavum quendam primæ nobilitatis Juvenem Bohemicum è medio ſuſtulerat: quod paraſitaſter egregius, aſſentando, & aliis artibus aulicis, tamdiu meritas pœnas eludere poſſet, donec tandem juſto Dei judicio, re, fama, fide funditus interierit, &c.

SCHO-

SCHOLIA.

VNicum lugubre funeſtumque dyſenteriæ lethalis exemplum, quod Decadis hujus Sileſiacæ terminum eſſe voluerim, plures fuerunt cauſſæ: & in his non poſtrema: quod ad vaſtiſſimum profluviorum alvi Oceanum in Vngaria reſpiciens, quoquo verſum oculos obverterem, tam multa, tam diverſa, tam relatu contraria ſe hoc in morbo offerebant, ut ſummis digitis tantum onus attrectare nefas putarem: commoveri non poſſe certo ſcirem, Hic enim hic ille Fluor alvi eſt, qui ſub nomine der Ungeriſchen Ruhr/ quo tres profluviorum alvi ſpecies vulgus complectitur, totam ſæpius Europam fortiter perterruit. Et ſane ſuo quaſi jure in caſtris æſtivos & autumnales menſes exacte diviſos cum lue Pannonica fluxiones alvi obtinent: ſic ut Junio, Julio, & Auguſto languores Pannonici, febres cauſſonicæ & Synochi, cum toto ſymptomatum ſatellitio in ſummum & medium ventrem tyrannidem exerceant; Sept. Octobri, Novembr. fluores alvi & ſimilia ventrem imum torqueant & exenterent: mira prorſus & perpetua morborum epidemice graſſantium, ſibiq; ſuccedentium viciſſitudine. Diarrhææ quidem ultra quam credi poſſit diuturnæ, & plus quam aſſumi poſſit copioſæ, nonnunquam prima expeditionum fronte legiones excipiunt: dum ſcilicet maxima bilis turgentis copia (ut in ſuperioribus paſſim dictum) inteſtinis compunctis ventrium perturbationes, dejectionesq; licet quoad tempus non legitimæ, commoventur. Has tamen, Anno præſertim 96. menſe Julio cum bilis efferueſcens, ætas, tempus anni, vires denique facile conſentirent, multis & maximis hauſtibus frigidæ ex ſaluberrima illa Facianæa ſcaturigine apud plurimos hoc unice appetentes reſtinguebam:

bam: ſic ut pleriq; bilis acrimonia refrenata, feruore humorum contemperato, cum paulo poſt potas aquas blande ſuperdormiſſent, omnes tuto, cito & jucunde fuerint curati. Has autem frigidæ ingurgitationes næ ſiniſtro ſydere tempore Autumnali concederes: quod tunc phlegmate copioſo, praviſque humoribus excrementitiis, in & extra vaſa collectis, virus præſentius affundi non poſſet. Sicut enim omnibus caſtris quovis locorum metatis Epidemici quaſi ſunt fluores alvi: ſic in Vngaria præſertim plures ſingulis menſibus Autumnalibus toto hoc decennio fluxionibus illis, quam à Turcis interemtos eſſe ſucure confirmo. Semper igitur fere veteranos ſingularibus experimentis contra tam moleſtam, calamitoſamque luem præmunitos inſtructoſq; reperies: ſic ut centum fere, nonnunquam ſuperſtitioſorum, & nullius rationis pharmacorum, farraginem inter tot Podalirios per otium aliquando convaſaverim. Vt enim perpetuo verum eſt: nullius artis in toto terrarum orbe plures Profeſſores eſſe, quam Medicinæ: ſic raro in caſtris ab infimis calonibus ad ipſos Duces uſque quenquam in epidemiis præſertim morbis profligandis tum Medicæ artis expertem invenies, qui non ad recuperandam ſanitatem ægris ſymbola conferre poſſit. Quernis tamen pulveribus, ex ilicum foliis, & ipſis glandibus à gregano milite primæ fere deferebantur: quos tumultuario opere nullisq; impenſis facile parandos quibuſvis antidotis præferebant. Multi panis toſti aſſiduo uſu nihil præſentius, quem nonnulli maſtice, caryophyllis, nuce muſcata & ſimilibus plus vegetandum proclamant. Erant quoque qui cera liquida maſſas panis ſemine papaveris albi conſperſas illinirent: & jejunis pro ientaculo offerrent. Quidam jecoribus bubulis non ſalitis toſtiſque & ſiti clamoſa, abſque potu, perferenda comeſtis ſummas vires aſſcribebant. Chymiſtæ crocum

Mar-

Martis, cujus ob armaturas ferrugine paſſim obductas magna vis ſemper in caſtris abradi poteſt (dubio certe cum ſucceſſu) ſemidefunctis infarciebant. Catabaptiſtæ ſaccos ingentes myrtillorum aridorum, pirorumq; ſylveſtrium, & in clibano exſiccatorum ſecum detulerunt: pleriq; ſingularibus in fluoribus alvi ſiſtendis experimentis ſuperbientes, ſic tamen, ut re ad reſtim veniente primi fere eſſent, qui animam excernerent. Sileſii noſtri terræ ſuæ ſigillatæ multum fidebant: & tamen ſæpius in terram conterraneam fluoribus exhauſtis convertebantur. Erant qui foris admotis, ut herbæ thapſi, conſolidæ utriuſque & aliis incantamentis potius, quam medicamentis fluxus omnes coercendos pollicerentur. Hæc eo dicta ſunt: ut ex his æquus lector æſtimet, virulentiam & contagiones profluviorum alvi plurimum formidari, etiam ab illis, qui divæ Hygiææ ſaluberrimas functiones ſæpius irridere, parvique pendere ſolent. Et quamvis externi ſemper errores in diæta caſtrenſi diarrhæas primo & ſucceſſive dyſenterias cum lienteriis inducant: tamen etiam ad cauſarum προηγουμένων ſimul concurrentes tempeſtates, colliquationes nempe, deſtillationes catarrhoſas & ſimiles Medico ſemper reſpiciendum erit. Raro n. imo nullum fere in caſtris ex fœdis alvi profluviis feliciter retraxeris, niſi omnium primo, ſatis etiam forti purgante, modo vires admittant, cacochymiæ ſentinam rejeceris. Turgent n. ut ſæpius inculcatum, tempore Autumnali corpora pravis ſuccis: quos ingluvies & intemperantia militaris ad certiſſimum interitum undiq; comportat. Fructibus enim fugacibus, & illis quidem præpollente humiditate ſemper ſuſpectis Pannonia maxime luxuriat; ſic ut ingentes ſaltus & nemora ſæpe ex frugiferis tantum arboribus conſtent: & ipſa ſua caſtris ſemper obfutura fertilitate ſanitati militari grande vulnus infligat. Quanta enim ſit inconti-

nentia caſtrenſis, quam laxis habenis quisq; in fructuum horariorum penu irrumpat, quam deniq; vix ipſa morte, ſuppliciiq; metu miles noſter à virulentis hisce delitiis retrahi poſſit, verbis exprimi nequit; ſic tamen, ut horum veſaniæ ſæpius aſſiduis ſubvectionibus turpis & probroſi lucri cauſa ab Ungaris materia, tanquam furenti gladius ſuggeratur. Hi enim curribus, cymbis, rhedis, ratibusq; nunquam non fructus fugaces ad caſtra deportare conſueverunt; tanta interdum copia, ut ſexaginta naves virulentis hisce cupediis onuſtas Domini Domini Schwartzenbergii, &c. piæ memoriæ auctoritate interveniente, frendentibus nautis in fluvium Anno 98 exonerari, quam illis vili pretio diſtractis caſtra dyſenteriis intoxicari maluerim. Eſt enim & hoc Phyſici caſtrenſis: ut qualis ſucci cibi veneant ſedulo proſpiciat, & vitiis deprehenſis illa decreto ſuperiorum caſtris eliminare feſtinet. Ad hanc autem ſpartam exornandam, non livoris metu deterreatur; ſed ipſius rei urgentis neceſſitate præter calumnias, quæ Mundi hujus merces, raro præmium relaturus ad hoc agendum excitetur. Fruſtra enim profluviis alvi mederi conaberis, quos prius coemptos quaſi magoq; niſu vix undiquaq; conquiſitos militari ingluviei condonaveris. Niſi enim naturæ nonnunquam ipſa ſanitate fortiores tantas ſibi petulanter illatas injurias perferrent: vel hoc tantum errato quemvis exercitum non conſpecto hoſte deleri mactariq; poſſe certo certius eſt: cum diarrhæis correpti per trimeſtre nonnunquam tempus priusquam morbo manus darent, conſueta munia obeuntes, recte valere ſunt viſi. Hi tamen raro dyſenteriis tandem ſupervenientibus evaſere: quod primo, natura critice quaſi ſe exonerante, facile præcavere potuiſſent. Si enim tandem morbus victor naturæ jam proſtratæ ferociter inſultaverit: etiamſi, ut in hoc caſu theoretice, & empirice

malum

malum oppugnaveris; oleum tamen & operam perdes. Nam dyſenteriæ Pannonicæ omnium crudeliſſimæ ſunt, ſic, ut primis annis, cum naturam & rabiem morborum Ungaricorum ſedulo rimando indagaturus, Anatomice plura cadavera aperuiſſem, inteſtina paſſim pugnum excedentibus apoſtematibus, & ulceribus perenni ſerie ſcaturientibus ebulliiſſe viderim: ut non absq; cauſa, confirmatas Dyſenterias in caſtris non curatu difficiles, ſed plane impoſſibiles, deinde affirmaverim. Lotivis equidem abſtergentib. & conglutinantibus clyſteribus niſi perennes (quod in caſtris fieri nequit) ſint, parum aut nihil effeceris: & tamen in his ſolis fere totius curationis cardo vertitur. Plurimum n. & hic Medico per rationes curaturo negotii facit pudor quidam, neſcio quam commodus, ſubruſticus certe, quo ſumme requiſita ſæpius pharmaca nimis inepte excluduntur. Priusquam n. nondum collapſis viribus, eroſisq; venis meſaraicis natura prorſus ſuccubuerit, unico interdum abſtergente clysmate ex piſorum tantum decocto parato, poſt evacuationem, per pharmaca plurimum præſtitum fuiſſe, ſæpius vidi. Ad compeſcenda quidem tormina quæ ſemper fere prodromi fluxionum, tandemq; his ceſſantibus ad teneſmos qui ſæpius profluviorum pediſſequæ ſunt: nunquam non reſpiciendum eſt: hos tamen decocto ſæpius thapſi in vino feliciter reſtinxi: illas inunctionibus noſtris & calide ventrem fovendo mitigavi. Si uspiam enim certe in caſtrſs ad facile parabilia propter ſumptus; ad mox operantia minimoq; negotio utenda propter tempus, reſpiciendum eſt: quod moroſum militum genus utroq; nonnunquam molliſſime tractari velit.

Sed de his in ſequentibus: quando morbis per ſe plus ſatis amplis patentiores campos recluſerimus: cum his angu-

ſtiis coarctari nec poſſint, nec debeant. Interea mecum omnes boni, Togatiq; validis Heroum in Ungaria pro Republ. Chriſtiana excubantium lacertis hactenus defenſi, Jehovam, blaſphemiarum Mahometicarum ſeveriſſimum Judicem, flagrantibus votis exorent: ut proſpera ſanitate fruentes propugnatores noſtros deducere, triumphisq; & trophæis onuſtos feliciter reducere dignetur.

FINIS.

OBSERVATIONUM CASTRENSIUM ET UNGARICARUM

DECAS TERTIA, SUEVICA.

AD MAGNIFICOS, AMPLISSIMOS, LAUDATISSIMOSQUE SEPTEMVIROS,

Conſules & Senatores inclytæ & vere Auguſtæ Reipubl. AVGVSTANÆ, *viros ſpectatiſſimos, Nobilitate generis, virtutibus, & ſapientia præſtantiſſimos, Dominos & patronos officioſe colendos.*

AVguſta Vindelicorum & vere Auguſta ſalve. Liceat enim mihi, Magnifici, nobiliſſimi, ampliſſimique Viri, his verbis affari Metropolin illius regionis, quæ toto hoc bello Turcico Trojanum longe poſt ſe relinquente tot Scævolas, Fabios, imo Curtios afflictæ Pannoniæ pie, fortiter, feliciterque ſubmiſit. Scævolas dico, quod velut ille dextram manum pro Repub. Romana ſponte volenſq; concremavit: Sic noſtri Scævolæ ſanitatem propriam, bonum illud inæſtimabile, pro Rep. Chriſtiana floccipendentes, ad ſuppetias laboranti Vngariæ ferendas alacriter deſcenderant. Fabios quidem, nunquam ſcil. ex caſtris reverſos, quod virtute æquarint, numero ſuperaverint: ipſa res loquitur: quod legiones integræ nunquam reverſuræ ad terras hoſtiles & ferratas acies quaſi cum tripudio

dio feſtinaverint. Marcum Curtium quoque æmulos habuiſſe vero verius eſt: quod velut ille, vel ad imos manes vivus deſultavit; non minus præſentibus periculis ſemet offerre geſtierint illi, per quos hactenus ſtetit: quo minus inter ipſos limites noſtros de ſumma rerum ſit decertatum. Quoties igitur phalangem Suevicam Macedonicæ nunquam ceſſuram caſtris junctam viderem; toties Auguſtæ Reip. Chriſtianæ felicitati ſerio congratulabar: quod ex tot alumnis ſuis certiſſimam ſalutem ſibi ſpondere videretur. Primas tamen ſemper fere ſibi vindicavit nunquam ſatis laudata V. Magn. & Ampl. Reſpublica,& re & nomine Auguſta: ſummæ & imæ conditionis Scævolas, Fabios & Curtios magnis ſumtibus, majoribus animis, maxima pietate Pannonis annuatim ſubmittendo. Hanc igitur Decadem tertiam jure ſũmo V. Magn. & Ampl. deberi jamdudum ſtatuens, obnixe rogo ne V. Magn. & Ampl. ad chartaceam hanc ſupellectilem benigne reſpicere dedignentur. Nec n. Mars & Bellona præter venerandæ Mnemoſynes ſacratiſſima delubra, quibus heroicæ fortitudinis recordationem æternam poſteritati ſancte reponant, locum habere videntur. V. Magn. & Ampl. bene beateq; ad Reipub. Chriſtianæ deſideratiſſimum emolumentum vivant & valeant. Datæ ex Elyſiorum Leori, quo paulum ex turbis caſtrenſibus reſpiraturus ad halcyonia ſæpius fruſtra exoptata ſeceſſi. Kalend. Januarij Anno 1605.

V. Magn. & Ampl.

Obſervantisſimus.

THOBIAS COBERVS
Med. D.

DECADIS III. SVEVICÆ,

OBSERVATIO PRIMA.

C*Vm pridie* Calend. *Auguſti Anno* 98 *Nobiliſſimus & Strenuiſſimus Vir, Joannes Fridericus de Mærſburg plurium annorum in Vngaria legionis Suevicæ, ſemper inſtructiſſimæ, & præ reliquis numeroſæ, Dux, flagrantiſſimo Sirio, qui, ſi unquam, certe illius diei meridie, inſaniebat, impenſe deferbuiſſet, ſalſum, acrem & eroſurum catarrhum, inſtar aquæ tepentis, in fauces delabi tunc quidem ſenſit, neglexit tamen. Poſtquam vero ipſis Calend. Auguſti, æque furente feruore, Theodoſia ſumma vi tormentorum conquaſſata, ſulphureos fumos imbibiſſet, & jam ſero Sole duobus ſignis, quibus teſſerarum luſu, pro more militari oppugnatio caſtri obvenerat, in aciem productis, magna animi contentione parvo tempore, Theodoſiam expugnaſſet, ſequentis diei crepuſculo, raucedine cum vocis omnimoda ſuppreſſione, jam increſcente, me vocare juſſo, vix tandem remedia commoda admittebat. Malum autem exacerbatum fuerat: quod mox poſt receptionem caſtri, procella, tempeſtateque maxima coorta (de quo in Scholio) ventis ſeſe expoſuerat: vixque tandem in tentorium ſumirefixum ſe receperat: unde ſalſugo catarrhi intercluſa fauces & gulam ſumma cum moleſtia exaſperabat. Poſtquam vinum omne, quo tamen ſemper uſus fuerat,*

inter-

interdixiſſem, & illius loco aquam decoctionis Liquirit. pro potu ſubſtituiſſem: Syrupos vero pectorales, prævalente tamen ſemper violato, ſæpius lambendos obtuliſſem, capite per cocchias evacuato, bene ſe deinde habuit. Ne coryza tam moleſta ſalſugine tonſillis eroſis, gravius quid, ἀφωνία præſertim coincidente concitaret, aut catarrhus acrior ad pulmones delapſus exulcerationem infligeret, cum metueremus: collum ſimul oleis humectantibus & emollientibus præmuniebamus: in cibis tamen omnia aromatica & ſimilia, quæ, licet apud magnates parum tuto, certe in delitiis eſſe ſolent, devitabamus: ſic, ut pulticulis avenaceis, offulis, inde paratis ſorbitiunculis, denique lenientibus per vices oblatis acredini ſuſpectæ occurreremus. His enim effectum eſt, ut tandem humor, ob ſubtilitatem prius & acredinem non comprehendendus, ſcreatu facile rejiceretur: quæ quidem materia, licet nonnunquam ſanguine ſtriatim aſperſa commiſceretur, tamen potius ex venulis in faucibus, quam aliunde promanarat, cum Dominus Patiens plethora ſic ſatis turgeret. Hanc venæ ſectione lubenter refeciſſemus: ſed cum ſub Syrio, perque plures Auguſti dies in recipiendis pluribus locis occupati eſſemus (nam & Geſthes, Tſchokaki, Veſprinium, cum Lacus Palottenſis tractu toto Turcis eripiebantur) eidem vacare non poteramus. Etſi autem paulo poſt cataclyſmis Iſtri paſſim exſpatiantibus catarrhis denuo corriperetur: tamen cum in frigiditate & humiditate æquipollente conſiſterent, minore negotio ſunt discuſſi: cum quod acredinis expertes gravius vulnus infligere nequirent: tum quod craſſioris conſiſtentiæ phlegmate inviſcati ſcreatu promtius expectorari poſſent. Cum enim præ ceteris Danubius noſter, dando nubes nebulasq́, vix à medio Sole discutiendas, deſtillationibus ſtrenue obſtetricetur: ſic, ut caſtra nonnunquam denſiſſima, & vix non picea fuligine, tempore Autumnali involuta videas, juxta flumen præcipue metata, mirandum non eſt, ſi menſibus Autumnalibus gravedines & catarrhi non ſemper critici & ſalubres promiſcue graſſantur. Horum autem injuriis plus ſemper fere expoſiti fuerunt primores, interdum crapula, nocturnis interdum

comeſſationibus, & intempeſtivis vigiliis, cruditates coacervantes: quamvis interim iisdem gregarium militem, terris, ut ſupra dictum, affixum, aut male, quod o quam frequens! contra externas aeris injurias, veſtitum, æque obnoxium non negem. His tamen veterani, vino ſublimato pro paucis obulis epoto mane obviam ire ſolent: quem morem aliquando Feldtmarſchallus cum penitus caſtris eliminandum ſub pœna promulgaſſet, non invitus in meas rationes deſcendit, poſtquam hybernis præſertim & jam ad frigus inclinantibus menſibus ſublimati uſum modicum non minus commodum, quam ſole flagrante eundem ſummopere damnandum demonſtraſſem. Interdum enim tempeſtive abſorptis aliquot guttis ſublimati, craſſioris crudique phlegmatis ad fauces delapſuri, non minus tuto viſcum diſcuſſeris, quam torrido ſole, bilem efferveſcentem ejusdem uſu commovebis. Tempus igitur & occaſio, veluti paſſim, ſic etiam in caſtris, & præſertim Vngaricis, ſancte obſervanda fuerit: quod hujus commoditate morbis obviam iri poſſit: temporis vero oportunitati ſummopere ſemper ſit inſerviendum. Hic autem à venæ ſectione tunc excludebamur: quæ tamen apud ægrum noſtrum non diſſuadenda fuiſſet, plethora ſatis, licet bilis utraque (quarum exceſſus apud genus militare, vix non neceſſarius, cum flava magnanimos, atra conſtantes procreet) præpolleret, ſuffragante. Tempori tamen multa quoque condonare cogebamur: quod, ut ante dictum, in plures, eoſque Herculeos labores, erogabatur, Summus & imus enim in hoſtili ſolo iisdem jactantur procellis: quibus plerunque citius illi, qui penes aras & aulas, in re lautiore, quam qui juxta haras & caulas, in ſorte tenuiore, vitam duxerunt, ſuccumbunt. Erant enim illius Auguſti caſtrorum metationes quotidianæ fere: quibus rara virium recolligendarum occaſio, rarius foci inſtruendi, gulæque obblandiendi tempus, rariſſimum, ad tractandos ægros, licet non prorſus decumbentes, otium concedebatur. His omnibus, inter multos alios illuſtres & generoſos ægros, tunc temporis cum iisdem larvis colluctantes, hic noſter Dn. Mærsburg obnoxius erat: in hoc reliquis rheumate laborantibus palmam præripiens, quod

tor-

tormentis grandioribus affixus, & in iisdem dextre collibrandis occupatus, ex pulvere pyrio fuligines, ex aceto vero tormentis ſuper calfactis inſperſo, vapores acres attraxiſſet: atque idcirco malum ad ſuppreſſionem vocis usque exacerbaſſet. Et optandum ſane eſſet, ut omnes ex peditum ductoribus pulveris pyrii odorem, ut in proverbio caſtrenſi eſt, tam bene ferre poſſent, ut hic noſter: tunc interdum non miſer pedes fruſtraneis locorum oppugnationibus defatigaretur: nec barbara illa, & non homine, ſed fatuo digna, vox à Thraſone quodam alterius nationis eructata fuiſſet, Was iſts umb ein paar tauſent Stiegelhupffer? *Hoc n. Cyclops iſte peditum ſalutem, cui tamen ſecundum Schvvartzbergium, maxima pars rei Martiæ innititur, ſusque deque ferendam, ſcelerate conteſtabatur. Hæc igitur vox, ut quavis furca digniſſima cenſenda eſt: ſic cedro digniſſima illa ſemper ſtatuatur, quæ unius civis ſalutem mille hoſtium ſtragi præferendam eſſe, ſancte confirmavit. Sed de his alias.*

SCHOLIA.

LEgionem integram denis ſemper ſignis, quatuor peditum ſelectiſſimorum & inſtructiſſimorum millibus conſtantem, toto hoc decennio, laudatiſſima SVEVIA laboranti Pannoniæ annuatim ſubmiſit: quæ tam, quod illius humeris moles rei Martiæ plurimum inniteretur, quam quod ſingulari quodam animorum motu Equitatum noſtrum complecterentur, ſemper mihi commendatisſima erat. Quam n. à Taciti temporibus uſq; laudem fortitudinis bellicæ ſartam tectamq; ad poſteros propagavit Suevia noſtra, hanc contra ſceleratos Mahometicolas duobus his luſtris tam Chriſtiano zelo transplantavit, ut hæc unica Sac. Rom. Imperii Provincia ad quadraginta militum virorum millia, in Turcas conſcripta armarit, armata Deo & Reip. Chriſtianæ conſecrarit. Mirarer tantas copias abſq; Medicis

& officinis caſtrenſibus ad hoſtiles terras miſſas fuiſſe: cum præſertim ſingulis ſignis ſinguli Chirurgi fuerint adjuncti: niſi generali Sac. Cæſ. Maj. ſtipendio ablegatis Medicis ſanitatem publicam ſolertisſimos Ordines concredidiſſe cenſerem. Salus autem hujus Legionis eo ſemper commendatior erat, quo major erat militum erga Divam Hygiæam obſervantia, & ad recuperandam ſanitatem præſcriptarem legum obſervatio: Quæ duo quàm alba cornice apud plures in caſtris agentes rariora ſint, vel tonſoribus notum. Quin imo Duces & Capitaneos quosdam torvum tueri, dentibuſque frendere, experieris, ſi plures ex ſibi commiſſis à morbis reconvaluiſſe confirmabis: qui è contra te congiario donaturi ſunt, ſi plures morbis ſuccubuiſſe, & nunquam evaſuros præmonebis. Secus quod ſenſerint peditatus Suevici primores, utplurimum ipſemet vidi: ſic, ut hinc cohortibus ob morbos minus abſumtis, & ſatis integra phalange, plus ſemper laudis, quam rariores interdum aliorum Ducum manipuli turpitudinis ſint conſecuti. Ad eundem forſan ſcopum omnes eſſent collimaturi, ſi ſe Chriſtianos eſſe recordarentur: tales nempe milites: quibus plurimum ſemper commercii cum ipſo Principe tenebrarum: cujus præſentia & potentia in Vngaria non minus Chriſto militantibus infeſta, quam porcis Mahometicolis promta & unita eſt. Hæc ut libere aſſeram, hinc præſertim adducor: quod ſemper in quibuſvis, interdum etiam non admodum cruentis locorum expugnationibus, vix negotio ex ſententia confecto tantę cõfeſtim aeris & tempeſtatum perturbationes cõmotæ fuerint, quæ non aliunde, quam ab ipſo homicidiorum auctore, promanaſſe, certo ſcio. Quod n. Sathanas in filiis incredulitatis potens ſit, & quod Turcia tota ſagis Magisque ſcateat, vel hinc liquet, quod in ciendis concitandiſque procellis & imbribus expeditiſſimi ſint: ut ſæpius, & præſertim

in

in oppugnatione Budenſi Anno 98 experti ſumus. Toto enim obſidionis tempore tantis aeris & imbrium injuriis expoſiti eramus, ut contra ipſos etiam ventos, nubes circum caſtra tantum rotari, circumagique perpetuo, ſed naturæ ſumme contrario motu vidiſſes. Hæc eo in medium adducuntur, ut omnibus conſtet, pietatem contra præſtigias Sathanæ non minus, quam ſanitatem contra inſultus Turcicos in Ungaria perneceſſariam eſſe: cum tamen hæc ab omnibus fere floccipendatur; illa caſtrenſi quaſi jure longius relegata videatur. Catarrhis quidem & deſtillationibus, quæ apud Pannonas, præſertim in caſtris, perpetuæ, quod maxima militum pars ſuccumbat & occumbat, cum ad fauces delapſæ anginas, ad pectus & pleuram derivatæ, morbos pectorales, inteſtinis vero infarctæ lienterias, univerſo vero corpori infuſæ, languores Pannonicos introducere poſſint, vero verius eſt. His igitur vel ſolis quasvis etiam numeroſas legiones confici poſſe, cum ſatis conſtet, non male quis fecerit, ſi mox in veſtibulo illis deſævituris obviam iverit. Serius enim hoc à Domino noſtro patiente cum factum fuiſſet, in illarum mitigatione plus deſudandum fuit. Ventus quidem vel potius procella etſi ſub crepuſculum moleſtior videri non potuiſſet: tamen cum crebris interſperſus fulgetris ignea ſua ſiccitate, cui ſe liberrime expoſuerat, humidum benignius abſumſiſſet, ariditate introducta guttur exaſperarat: quæ moleſtiæ tentorio per noctem ventis pervio magis excanduerant, fuligine pulveris pyrii ſulphurea pulmonibus prius arefactis. Ejusmodi autem caſus ut ſumme frequentes, ſic non raro ob quamvis cauſam, ſi neglectim habeantur, plus quam dici poteſt tumultuantes, ut in caſtris caute obſerves, perneceſſarium eſt. Quam turpiter enim, ne dicam nequiter, aliquoties illi, qui circa rem tormentariam verſari coguntur,

ab

ab imperitis Chirurgis fuerint tractati, ſatis memini: qui quamvis raucedinem, tanquam τεκμήριον luis Venereæ ſuſpicantes, decantato ſuo Mercurio eradicandam cenſentes, miſeris exitio fuerunt. Vere igitur albæ gallinæ filios ſe profiteantur, ſi morbis etiam minimis correpti, primo ſtatim limine, in manus artificum inciderint, quod hinc in caſtris maxima ſemper felicitatis pars æſtimari poſſit & debeat. Sed ad peculiarem quandam peditatus Svevici dignaq; conſideratione, εἰδιοσυγκρασίαν tranſcendamus.

OBSERVATIO SECUNDA.

SUpremus Locum tenens peditatus Suevici Vir nobiliſſimus, & animi corporisq; dotibus egregie exornatus: utpote, qui vel Jovio teſte, à priſcis Avis Atavisq; odium in Mahometigenas hereditario jure ſimul cum lacte imbiberat, Eiteleck ab Reiſchach, felicis memoriæ, ſub finem menſis Julii, Anno 96, de levi quodam capitis dolore, perpetuo tamen, conquerebatur. Huic poſtquam ex vena communi, quod probis ſuccis & ſanguine, ad ſummam plethoram usque turgeret, pluſculum ſanguinis detraxiſſemus, & ad ſomnum conciliandum, qui ob exhalationes fervidiores caput petentes & inſomnia ſemper cruenta ementientes deſtituebatur, ex pampinis, quas ex vinetis Facianæis recentes habebamus, ablutionem pedum præſcripſiſſemus, placide per totam noctem ſuperdormivit. Poſtquam nondum diluxiſſet, ſesquiſcrupulo Pill. cochiar. quod facilis ſolutionis eſſet, parare juſſo, ad Dn. Locum tenentem feſtinabam, æſtum ſolarem illius operatione præventurus. Pillulas autem ſiccas, licet deauratas è manu in os projiciebat: quarum ad ℈. fere, poſtquam nulla cum moleſtia deglutiiſſet, reliquas, quod ad calidam & humidam corporis conſtitutionem diligentius reſpicerem, mecum, plures licet roganti exhibere nolens, aſportabam: elapſis duabus circiter horis cum Dn. noſtrum de Reiſchach viſitaſſem, inveni eundem languore ſummo proſtratum: quod vel ſeptem Pill. ſedes XI, & illas

quidem

quidem maximas, non interrupta ſerie commoviſſent. Cauſas violentioris operationis cum altius inquiſiviſſem, primum hunc Legionis Suevicæ coryphæum ad nationis cujusvis peculiares proprietates conſiderandas me deducere ſentiebam. Niſi enim prima ſtatim fronte lautioris conditionis æger ſe nobis obtuliſſet, in milite gregario curando non parum hallucinati fuiſſemus. Jusculis enim & ſorbitiunculis alimentisq́ liquidioribus, cum ab incunabulis usque Suevus aſſuetus ſit, multum ſane peditis iſtius curandi ratio ab equitis Saxonici, qui lardo, pernis crudis, carnibus ſalitis fumoque induratis, victitarit, diſtabit. Jurulenta enim & liquidioris ſubſtantiæ alimenta, chyli lubricitate quodvis purgans, quovis vel minimo negotio, ſtimulans, ad rejiciendum multo promtius irritabunt, quam viſcidioris crudique phlegmatis ſentina demorabitur. Ad hanc autem late ſumtam nationum omnium ἰδιοσυγκρασίαν Medico caſtrenſi magnopere eſt reſpiciendum: cum vel in hujus ſolius interdum accuratiore conſideratione, totius medicationis cardo verſetur. Quod in ſequentibus latius. Huic autem Domino noſtro Reiſchachio, poſt exhibita Catapotia bellisſime ſe habenti auctor eram, ut aſsis potius, quam elixis aut jurulentis pro victu uteretur: quod verebar, eundem levi quadam occaſione Dyarrhæam incurſurum; uti & paulo poſt evenit. Phaſeolis enim recentibus, quibus Facienſes Turcæ viridaria conſeverant, cum licet coctis, ſed pinguioribus in cœna uſus eſſet, & fortaſsis vinum meracius, quod maxime arridebat, ſuperbibiſſet, noctem ſatis inquietam ducendo poſt tormina, licet obſcura, ſub auroram novies liquida & bilioſa quædam excrevit: de quo tamen ut bene ſperaret mox evocatus juſsi: cyathoq́ uno brodii piſorum ſaccharo bene ad abſterſionem edulcorato epoto, & hepate vitulino abſq́ lardo toſto cum vino rubro ſtyptico in cœna oblato rectisſime ſe habuit: me ſingulari favore, toto iſtius expeditionis tempore proſequendo. Merito igitur ad rumorem de tanti amici morte indolui: quamvis in acie inſtructisſima fortiter depugnans, heroica & gloriæ plenisſima morte non tam occubuerit, quam triumpharit. Plus n. gloriæ quam ſangui-

inis ex illorum vulneribus promanat, qui pro Republ. Chriſtiana virili zelo depugnantes, animam Chriſto vindici, memoriam poſteritati, corporis mortalitatem immortalitati conſecrare geſtiunt. In his dubio procul eſt noſter Reiſchachius, qui duobus Janizarorum globis ſimul & ſemel trajectus 26 Octobris, in illo conflictu Kereſtinianao in æternum ſtupeſcendo feliciter, ut verum dicam, occubuit. Feliciter inquies? Imo vero feliciter: utpote qui poſt plures quatuor illorum dierum velitationes ſemper proſperas in medio generalis certaq; exſpectationis congreſſu Mavortio ſpei plenus ad ſuperos evolavit. Nec enim legionis ſuæ lectisſimæ cuneos ſolutos, nec reliquorum intempeſtivas rapinas, nec Panicum utriusque exercitus terrorem, nec effuſam deniq; copiarum maximarum fugam, vidit & ingemuit. Liceat enim hoc mihi bona venia, meliore fide, optima ratione conſtanter aſſeverare: nunquam majoribus animi viribus & apparatu in Vngaria, de ſumma rerum pugnatum fuiſſe, quam illo 26 Octobris die: qui utrum nobis, an hoſtibus luctuoſior fuerit, ſemper dubitabitur. Stabat enim à partibus Reipubl. Chriſtianæ Sereniſſimus Archidux: cujus o utinam nutui, conſiliis, fortitudini & votis totius exercitus molimina correſpondiſſent, in vinculis certe vidiſſemus Hydram Boſphoream, quæ in caſtris turpiter exuta, comitibus conciſis, jam ſe in pedes, quantum poterat, conjecerat. Ventum enim erat ad triarios Turcicos, ſic ut noſter hic Reiſchachius in ipſo fere tentorio Mahometico à prætoriano milite, qui Janizarus eſt, pluribus ſimul in unicum collimantibus, ſit transverberatus, non ſine triumpho, fronte exporrecta ad campos Elyſios deductus: in quibus brevi poſt plures oculis ad terram demiſſis, quod terga dantes non tam honeſta morte ſemet Deo immolaſſent, convenerunt. Paucis his manibus hoc promeritis parentare volui & debui: ex animo optans, ut plures laudatiſſima æmulatione tanta trophæa ſibi figere feſtinent.

SCHOLIA.

EST εὐσχημοσύνης medicæ interdum ex unius & alterius ægri conditione, de Nationis totius privilegiata quaſi conſuetudine, & natura, ſolerter indagare. Habet enim interdum peculiare quoddam, & reliquis non æque commune, bonum vel malum, quævis Natio: cujus quaſi ἰδιοσυγκρασίας niſi quis pharmaca exhibiturus, rationem habuerit, multum aberrabit. Reſpiciendum autem primario eſt ad victum ſive conſuetudines in diæta: unde plures nonnunquam & certiores indicationes, quam ex ipſis morbis mutuari poterit. Pro qualitate enim & quantitate quotidie aſſumtorum, corpora quoque diverſas longeq; inter ſe differentes qualitates ſortiri, cuivis in confeſſo eſt. Ad caſtra autem cum ex toto terrarum orbe gentes diverſiſſimæ confluant: mirandum non eſt, ſi medendi methodus ad cujusvis nationis rationem, quam maxime ſit commoderanda: quod quidem licet ſemper ad normam Polycleti præſtari nequeat: multum tamen lucis praxi, per ſe tenebris ſæpius involutæ hinc acceſſurum nemo inficias iverit. Nam & Auſtria noſtra, Paradyſus nempe Germaniæ, cum per plures annos vinorum penuria, ob egeſtatem vitium, preſſa fuiſſet, ad potum nihil minus, quam conſuetum ſe aſſuefecit, ſic, ut zythi ſatis ſapidi, & jam ſympatriotæ, cyathis dapes fere ſemper exordiri ſoleant. Eſt itaq; in has viciſſitudines intueri ſumme congruum: quod hujus etiam noſtri Reiſchachij p.m. exemplo liquido conſtabit. Corporis n. fluidi per ſe & ſolutionis promtiſſimæ niſi rationem habuiſſemus, facile enorme alvi profluvium concitaſſemus, qui fortaſſis difficulter conſopiri potuiſſet. Nam quas turbas vel parvula illa Pillul. Doſis dederit: & quam multi pulveribus laxantibus, quos rerum imperiti, vel colocynthide vel Scammonea nimium

exacuerant, peſſime tractati ſint, magno ſæpius cum dolore vidi. Accedit etiam & illud, quod Pannonicæ carnes, ut plurimum nativa, excrementitia, humiditate & lubricitate, ſcateant: quæ elixatione jurulenta omnia liquidiora reddunt: unde corporibus per ſe fluidis alimentum liquidius ſi quotidie infundatur, facilime cataclyſmos humorum commovendos, nemo dubitaverit. Quod n. carnes reliquæ lubrica humiditate præpolleant, vel ex aprugnis conjeci: quas ſemper, licet toſtas, plurimo humido deſpumare vidi. Nam cum nemoroſis ſaltubus ad amœnitatem & utilitatem tota Vngaria ſit præcincta, Turcæ vero ex deliriis Alcorani ſumma immunitate, apros gaudere ſinunt; in lucis Veſprinianæis Anno 98 menſe Aug. jucundiſſimæ venationis voluptate fruebamur: cum vaſta quaſi indagine cinctis locis apri plures ex ſpelæis excitati ipſis peditum ſariſſis ſe paſſim affigerent. Tranſibamus n. triplici acie: quæ cum licet non admodum denſe, longiſſime tamen protraheretur, impedimentis pone ſequentibus in retia quaſi plures feræ protrudebantur. Has igitur cum contra aprugnæ naturam nimium flacceſcere animadverterem: ut diu lentiſſimo igne torrerentur, coquo noſtro ſuadebam: reliquis vero, ut pipere condirent, niſi vel febribus, vel diarrhæis corripi vellent, auctor eram. Carne quidem ſuilla, ſi modo dextre concoquatur, militibus nihil ſalubrius eſſe poteſt, Galeno, Homero, Strabone & Varrone teſtibus: quorum hic in Europa, Italos, alter Gallos, tertius Græcos, quartus eosdem, omnes nempe Europæos militare robur in caſtris, carnibus ſuillis ſuſtentaſſe, conteſtatur. Si concoquantur, dixi. Nihil enim æque vitioſis ſuccis corpora repleverit, quam ſuillæ carnes à mactatu adhuc halantes, modico tempore elixatæ, aquæ potu nihil minus conducente ſuperfuſa. Nam niſi quis apprime boni ſtomachi fuerit, ut ſunt naturæ vel Stru-

thio-

thiocamelo fervidiores, ex unius etiam ejuſmodi cœnæ apparatu, luem præſentiſſimam retulerit. Experti ſunt plures magno ſuo malo ex equitatu Saxoniæ inferioris, qui tanquam querna fruge ſaginatis porcis, & furno ſaleque egregie paratis carnibus in patria veſcerentur, recentibus, iisque nihil minus, quam ſuillis, avidiſſime uti ſolebant. Plurimos autem graviſſimis lienteriis correptos, cum plerique feculentam & ex montanis ſæpius axe devolutam cereviſiam ingurgitaſſent, aut vinis turbidis ventriculum aggravaſſent, ut inter has & patrias carnes pernaſq; qvantum diſtaret animadverterent, admonebam: quibus licet Danubii accolis, victum tamen cum ſolo mutatum ad rationes caſtrenſes commoderari debere perſuadebam, & quidem facile. Nec enim omnibus, ut ſcitur, iisdem modis vel rationibus ut in tuam ſententiam pedibus eant, facile perſuaſeris: cum non ſine riſu Medicus quidam Viennenſis enarraret: ſe aliquando præcipue dignitatis virum Equeſtris ordinis, qui turmis Saxonicis cum laude præfuerat, poſtquam ex graviſſimo morbo vix & ægre evaſiſſet, adhortatum fuiſſe, ut jam cibis optimi nutrimenti, capis nempe, perdicibus, &c. vires refocillaret: ægrum autem vix non cum ſtomacho reſpondiſſe: Quid, malum, videsne pernas, carneſq; fumo induratas mihi ad manum eſſe? quæ vel roſas colore referant: his ſummis delitiis & exquiſitis cupediis cum frui nequeam, tu mihi conſulueris: ut cibis ejuſmodi vires reficiam: quibus ſi ſanus ſim, ad ſyncopen deduci poſſem. Ejusmodi plures hujus ἰδιοσυγκρασίας Nationum omnium exactiorem rationem habiturus reperies: qui, dictu mirum, modo his, modo illis, aut opiniones tuas elevare conabuntur, aut, ſi lupum auribus tenuerint, confirmata eludere adnitentur. Quod Medici præſertim caſtrenſes Argo oculatiores eſſe coguntur, ne ſcilicet in vada impingant apud il-

los qui laudi etiam ſibi duxerint, ſi ſagaciſſimis quibuſvis imponere potuerint. Sed ad Phyſicum caſtrenſem, qui talibus inſultationibus funditus interierat, digrediamur.

OBSERVATIO TERTIA.

QVem peregrinationes Orientales, doctrina & aeris Medicæ experientia maxime nobilitarant, Doctorem Leonhardum Rauwolff Auguſtanum, eadem nobis Vngaria eodem anno ſubtraxit: Agebat tunc copiarum ſuperioris Auſtriæ Phyſicum, ſpartam ſibi commiſſam dubio procul ſatis exornaturus; niſi grandior ætas ſub oneribus Medicis jam conſeneſcentem Tyrocinium caſtrenſe ſubire noluiſſet. De hoc Idibus Julii poſtquam ſermones miscuiſſemus, & ego canos venerandos pulvere caſtrenſi deturpandos non eſſe confirmaſſem, maxime cum durius vitæ genus præſertim in caſtris & apud Vngaros præſens periculum minari demonſtrarem, confirmabat quidem, ſe non modo diuturnis peregrinationibus ad quasvis externas injurias occallaiſſe, & idcirco in ſtadio feliciter hactenus decurrenti juxta metam ſubſiſtendum non eſſe, ſed tamen paulo poſt Hadwanenſis aquæ, quæ ſumme inſalubris, unico hauſtu intoxicatus evadere nequivit. Adſcripſeram hoc excrementiciorum humorum ſentinæ: quæ in corpore ſenili ut plurimum coacervata, ſtomacho & hepate refrigeratis, ſuperinducta diarrhæa, cum ſemel enormiter profluere cœpiſſet, ſiſti deinde non potuit: cum ſemper fere in caſtris apud paulo provectioris ætatis lethales fuiſſe, ſim expertus. Accedebat quod jam decumbens fido famulitio deſtitutus, partim ſecundum caſtrenſe proverbium: Wer ligt/der ligt/ *neglectim haberetur (quod tamen paulo ſerius ſubolfeceram) partim ab iniquis rerum cenſoribus parum digne tractaretur: partim etiam curis domeſticis, quæ vel ipſa morte graviores, ſenſim conficeretur: quarum trium catapultarum vel unicum hominem jam ſatis ætate gravem in caſtris proſternere potuiſſet. Vicit igitur conſpirantium calamitatum violentia,*

ſic,

ſic, ut menſe Septembri doloribus & continuo fluxu ad extremam maciem deductus, vix ſeſquipalma telluris Pannonicæ contumularetur vir ille, qui totum fere orbem pedibus conculcaverat, ægre de tanta mole ad contegendas corporis prædelaſſati exſuvias unum & alterum ceſpitem nactus. Erat alias corporis habitu ad labores quoſuis perferendos ſatis commodo, rerum plurimarum cognitione deflagrans, inprimis ſimplicium, præſertim exoticarum, indagatione, cujus cauſſa non ſine gravi & vitæ & fortunarum periculo magnam orbis terræ partem audacter obierat. Fretus igitur, ut jam dictum, peregrinationum exantlatarum moleſtiis, quibus ad extrema quæque perferenda obduruerat, Pannoniam quoque, quam prius non calcaverat, tentandam eſſe, & in caſtris æſtivandum, ſatis honeſto ſalario evocatus, ſtatuerat; quod quomodo viro optimo ut & multis aliis, qui parum ſe vireſque ſuas, antequam tantis procellis vela committerent, ſuo pede fuerant metiti, ceſſerit, jam liquet. Nec tamen de ſalute decumbentis mox deſperaſſem, ægro præſertim ſanitati, quantum fieri poterat manus porrigenti: niſi mediis, ſi uſpiam, certe in caſtris, ſumme requiſitis, prorſus deſtituti fuiſſemus. Eſt enim hoc peculiare quaſi Phyſicorum caſtrenſium fatum, ut vel ad momentum decumbentes, ſannis, imo ſarcaſmis, à craſſi cerebri milite excipiantur, tanquam res riſu digna ſit, ſi quis inter tot decumbentium myriadas, ægris inſerviendo, ſanitatem propriam inſumſerit. Nam & de hoc patiens noſter p. m. conquerebatur: quod dum juxta Hattvvanum obſeſſis ſtrenue tormentis detonantibus caſtra longius metanda & mutanda eſſent: ob ægros hinc inde diſperſos conquirendo defatigatus, viribus vix non deficiens, aquam deguſtaſſet, ex qua lethales tandem profluviorum cataclyſmi dimanarant. Ægre tamen, nec niſi multis adductis rationibus perſuaderi poterat, ex aquæ unico hauſtu Hydram tam portentoſam repullulare potuiſſe. Ecce enim, dicebat ille, ego qui per biennium fere inter barbaros, nil niſi ſola aqua, eaque indies fere alia atque alia ſitim reſtinxi nunc hauſtulo lymphæ Pannonicæ, ſi Diis placet mactabor? Hos gryphos a. poſtquam diuturnioris deſuetudi-

tudinis ac ætatis jam gravioris objectu discusſiſſem, & tamen ob pervicaciam coqui (quod genus hominum, præſertim in caſtris egregie protervum) indignè, ne dicam impie tractaretur, juxta Danubium tandem occubuit ille, quem Tigris & Euphrates ſalvum & incolumem Europæ reddiderant.

SCHOLIA.

NEmo, quicunque tandem ſit, & quoſcunque tandem labores & moleſtias pertulerit, tantum ſibi ſuadeat, ut ex Oceano ſordium Pannonicarum ſe ſalvum enataturum ſperet. Tot n. ut ſæpius jam inculcatum eſt, tamq; variis incommoditatum caſtrenſium catapultis quivis oppugnatur, ut etiam magnates, nedum Phyſici caſtrenſes, ſervorum nempe miniſtri, tantis procellis ſæpius manus dare cogantur. Si quis tamen rectius ſaluti ſuæ conſulere voluerit, Medicus præſertim mature ſibi de menſa, vel apud pharmacopæos caſtrenſes, vel quod conſultius eſſe, apud primores proſpectet: quod alias nunquam morbos mortemq; ſit evaſurus. Ego quidem ſerio mihi gratulor, nunquam vero intermorituras gratias ago & acturus ſum Illuſtri & vere generoſo Domino; Domino Sigfrido à Kolonitſch, &c. quod heroica prorſus munificentia toto quinquennio ne latum quidem unquem à ſuæ Magnificentiæ menſa me diſcedere ſit paſſus: cui quidem rei & beneficiis magnopere deſideratis acceptum fero, quod inter tot moleſtias, diurnas nocturnaſque ob ægros innumeros ſanus ſoſpeſque perdurare potuerim. Erant autem & reliqui S. Magn. Aulici tam illi, qui ab officiis Aulicis, quam qui à ſervitiis, ad mores ſuæ Magn. ſic conformati, ut quinquaginta fere domeſtici jucunda ſemper pace, miraque concordia convixerimus, aliis fere diverſarum Nationum commilitonibus & Oeconomiis ca-

ſtren-

ſtrenſibus ſæpius interim rixis & odiis inteſtinis ſenſim ſe conficientibus. Confirmat ergo poeta recte, quod veluti lituos, ſic mores tota ſequantur caſtra Ducum. Hoc enim ipſemet, tunc temporis non minore jucunditate, quam hic noſter Rauwolffius p. m. acerbitate, & mentis ægritudine ſum expertus. Quibus autem ejusmodi, & apud Pannonas corvo candido rariores vivendi occaſiones defuerint, his auctor eſſem, ut ſymbolis collatis fraterna, vereque Germana familiaritate conviverent: quod etiam decurias Turcicas, quarum ſingulæ ſub ſuo Duce vivunt, factitare jam ſupra dictum. Dum enim hic tentorio figendo refigendoque, ille penu inſtruendo, tertius focum excitando, quartus aquas apportando, quintus coquum agendo, ſextus menſam inſtruendo, ſeptimus ſtrata (quæ gauſape tantum viliq; apparatu conſtant) parando, intentus eſt, reliqui vigiliis, armis & imperiis præſunt: non mirandum eſt, ſi diſciplinæ ſuæ rigore fraternaque converſatione reliquis gentibus hactenus palmam præripuerint. Talis enim Sympoſii vel contubernii commoditate ſi noſter hic frui potuiſſet, etiam ex his forſitan Syrtibus enavigaſſet: in quibus poſt tot exantlatos labores, quoad exſuvias corporis quidem miſere, quoad ætatem, famam & partam palmam ſatis mature & feliciter naufragium paſſus eſt. Arbitror tamen, ſi rationes ſecum ſubduxiſſet, utrum etiam oneri ferendo par eſſet, ſemet ad tantas moleſtias præcipitem daturum non fuiſſe. Exhauſtus enim jam viribus erat: peregrinationes Orientales vegetum corporis & animi calorem depaſtæ erant: mœrores diuturni intimas oſſium medullas eliquaverant: nihil denique ad injurias caſtrenſes perferendas reliqui erat: & tamen ſatis confidenter, ſe facilius, utpote qui jam ad labores prorſus occalluiſſet, quam quemvis alium, ſaxum hoc Siſyphium provoluturum, ſibi perſuaſerat. Idem parvulus quidam

paucarumque virium Medicus, ſolertis alias doctrinæ & ingenii, ſibi perſuaſerat: ſed cum fracto ponte vix undis extractus eſſet, & Borea flante præter vires inhorruiſſet: cum frigus illud ſuſpectum terroremque funeſtum aliquot meracioris vini maximis hauſtibus diſpellere conatus eſſet, é veſtigio febre maligna correptus eſt, phreneſi, licet non nimium effera, ſuperveniente paulo poſt exſtinguendus: licet eundem Viennæ, ne quid durius in ſe ſtatueret, ſedulo præmonuiſſem. Inter plures autem, quibus hoc officii genus plerumque inofficioſum præſtiteram, erat quoque Gabriel Pharmacopæus, ex Cherſoneſo Cimbrica oriundus: cui cum ſtatura ſatis procera eſſet, & facies pervenuſta, natura ad calidum & humidum tendente, probis, licet, auræ Pannonicæ parum commodis, ſuccis turgeret, ut ſibi à caſtris caveret, multis rationibus adductis perſuadere conabar. Sed cum totam fere plagam ſeptentrionalem ab extrema Livonia, Caletum uſque terra marique perluſtraſſet: cum peregrinationes Arctoas media ſæpe hyeme durumque vitæ genus utplurimum duxiſſet: cum laborum patientiſſimum ſe eſſe, & fore confideret, deſcendit quidem, me ſerio dehortante, ad caſtra, nunquam reverſurus; vix una & altera hebdomade elapſa é regione Strigonii contumulatus. Nec enim ſecum, quantum in aeris mutatione, diſtarent æra lupinis, recte perpenderat: aere ſeptentrionali frigido & ſicco naturæ ſcilicet calidæ & humidæ convenientiſſimo, exſiſtente, Auſtrino autem tempore, & humiditate, ſumme ſcilicet ob putredinem ſuſpectis, præpollente. Eodem, ſed nonnunquam acerbiore fato, citius quam putarant, confecti ſunt plurimi: qui vel naturæ robore confiſi, vel variarum peregrinationum moleſtiis ſuperatis nitentes, Vngâriam facile ſe toleraturos ſomniarant. Etſi enim ſextum vel ſeptimum inſultum natura robuſtior interdum devicerit: tamen decimo tan-

dem

dem cedere, decimoquinto ſæpius occumbere, cogetur: cum telis diverſiſſimis ſanitas etiam Adamantina paſſim ſit expoſita. Et ſane documento ſum me evidenti poſſent eſſe reduces ex caſtris, qui in deſcenſu floridis plerumque ſuccique plenis frontibus deſcendentes, cadaveroſo, lurido ſubgilvoque pallore utplurimum revertuntur, turmis aut cohortibus non tam per hoſtes, quam morbos ad miram raritatem redactis. Eandem fortaſſis fortunam experiuntur hoſtes, illi præſertim, qui ab extrema Aſia, vel, ut ita dicam, Tigride & Euphrate fruſtra ſæpius recalcitrantes, ad Pannonas protrahuntur. Etſi enim primis menſibus, vigente nempe æſtate, auras hoſtiles ſatis recte ferant: tamen ad primas fere pruinas facile ſubrigeſcunt: ſub mitiore ſcilicet polo ſemper victitantes. Niſi ergo munditie, qua porci iſti Mahometici ad ſtuporem uſque delectantur, & mutuis illis dextreque collibratis officiis fragilem ſuam ſanitatem, ut ante dictum, ſuffulcirent, iisdem fere quibus noſtrates expoſiti ſunt aeris terræque hoſtilis injuriis poſternerentur. Sed ad aliud injuriarum caſtrenſium genus remis veliſque contendamus.

OBSERVATIO IV.

CVm vir nobiliſſimus Walther ab Faullach, Capitaneus unius vexilli peditatus Suevici, Anno 96, 4 Kalend. Auguſti, foſſæ, infra Faciam Petum verſus, in editiore ſpecula parandæ præfuiſſet, bufonis horrendi, qui forte telluris effoſſione rejectus fuerat, calcatu defœdatus me vocari juſſit. Detractis autem tibialibus ex ſerico paratis, licet madorem nullum ſentirem: tamen cum circa talumruberet, mox, utrum buſo mictu ſe defœdaſſet (hoc enim calcati faciunt) ſciſcitabar: cumque non abnueret, mox ſcarificatu, loco dolente crebro pertuſo, ventoſiſque appoſitis, cum poſtea pro more recepto gleba terræ ſiccioris ſedulo locum fricari juſſiſſem, & Ther. Androm. pro

emplaſtro ſæpius renovato uſus eſſem, nil amplius conqueſtus eſt, niſi quod in obſidione Hattvvanenſi levi febricula corriperetur. Conquerebatur autem de maximo, febrique non correſpondente languore, deq; brachiorum, & artuum, præſertim in juncturis, lancinante nocturnoque dolore: quem quamvis alii rei aſſcriberem: tamen cum de virulentisſimæ beſtiæ veneno ſuſpectisſimo ſemper inculcaret, nec me fugeret, quam caute ſit in devincendis deleteriis agendum, quinquies Ther. Venetæ, quam ſecum in myrotheca ſumſerat ad ʒ1.ß. in decocto rad. Dictami exhibebam: unde ſemper in effuſiſſimos ſudores ſolutus bene ſe deinde habebat. Obtruſerat a. me neſciente nugivendulus quidam paulo poſt boni illius Turbith mineralis aliquot pillulas, quas cum violentiæ Mercurii ignarus deglutiiſſet, eo ipſo in loco, ubi ſcarificatu cutis pertuſa erat, livorem incurrit, quem cum epidemidis ruptio ob veſiculas minutas, ſecuta fuiſſet, crus non ſine negotio conveſtiri potuit: cum ſciolus ille ſe venenum à corde, ad membrum ignobilius ſecluſiſſe jactaret: Ego vero venenum bufonis extreme frigidum frigidiore viru animatum, & ab inferis quaſi revocatum conteſtarer. Suffragabatur huic noſtræ ſententiæ Tragicus rei funeſtæ eventus, poſt aſſumtas tam virulentas pillulas generoſum quendam juvenem, qui lævo ſidere ſalutem ſuam huic homini futili commiſerat, paucis horis conficiens. Sanus enim prorſus, nulliusq; morbi ſibi conſcius, corporis tamen purgandi, ut vocant, cauſſa, per otium mane easdem devorarat: poſt quod jentaculum, vel apud manes pranſus fuit, nedum cœnatus: tribus nempe horis poſt aſſumtum viru miſere convulſus occumbens. Eadem medendi methodo, ſed diuturnioribus, iisque ſumme exquiſitis, doloribus excarnificatus fuit & conſumtus religioſus quidam Comaranii decumbens, qui 380 ſedibus, quod fidem fere excedit, exhauſtus, ſimul cum materia, virorem prorſus gramineum, ad extremum referente, animam ſimul excrevit: licet ante à me ſedulo admonitus eſſet, ne corpus per ſe ad fluxiones aptisſimum cathartico tantum vehementiore, ne dum ☿ & ſtibii (utrumque enim exhibitum verebar) ſuſpectisſimis myſteriis ad certam necem exſtimularet. Cujus

jus noſtri moniti parum memor poſtquam jam eo res redactæ eſſent, ut alterum pedem in Charontis cymba haberet, urinam ad me, forte Comaranium, ad ægros revocatum, transmittebat, quam cum certam mortem præ foribus oſtendere confirmasſem, miſer ille metu fati jam prorſus ærei ſaccum, cui mille Joachimici inerant, oſtendens, ſancta fide eundem mihi ſe daturum confirmabat, ſi ſe ex faucibus mortis eriperem. Conſtabat *autem ratione, ut fere ſolent, qui ejusmodi necis genere, trucidantur, ſic ut mortis aculeos ſingulis fere ſeceſſibus deguſtatos, mirum in modum reformidaret: etſi jam rebus deſperatis nihil amplius, quam dolores nos parum mitigaturos, polliceri poſſemus. Hoc quidem, Jehovah connivente, non ſine ſpe contra ſpem jam in agone conſtituti præſtabamus: ſomno quoque, vel ſopore potius, ad momentum horæ inducto: quo paulo poſt ob egeſtiones excuſſo, inter miſerandos gemitus & fremitus, naturæ nihil minus expetenti ſatisfecit. Hoffmannus quoque quæſtor ærarii bellici, qui repente (credo ob ingenium in negotiis pecuniariis mire expeditum) ex plane nullis ad opes Satrapa dignas pervenerat, cum in eundem Practicum, & eadem pharmaca, incidiſſet, æque clementer, benigneq; tractatus fuit: in hoc tamen priore felicior, quod vires non adeo athleticæ veneni atrocitati non tam diu luctatæ, ſed citius morte maturata proſtratæ fuerint. Sed de his alias: ad id, unde digreſſi ſumus, revertamur: ad animalia nempe venenata, quibus Vngaria noſtra non ſine ratione ſcatet.* Cum *n. cadaveribus, tabo & ſanie pasſim diffluat, mirandum non eſt, gleba præſertim pinguiore beſtiolas ejusmodi produci. Sic Anni 99 Autumno cum per circulum caſtra fosſis & vallis, fruſtraneis tamen cingeremus, modo hic, modo illic lacertas, bufones & ejusmodi animalcula refoſſa fuiſſe: quod tamen campis, ubi Gokra fuit, & ſuperiorum annorum metatis caſtris aſſcribebam. Conquerebatur Georgvvith Iſthvvan, nobilis Ungarus: ſe ex cado vini, in quem furtim lacerta irrepſerat, hauſtui, morbi ſui, qui lethalis erat, ferociam imputare: cui eo facilius aſtipulabar, quod decumbentis hypochondria lividis plumbeisq; maculis variegata conſpiceren-*

 ceren-

cerentur: totum vero defuncti cadaver, tanquam ex arquato obiiſſet atrogiluum, maculas toto corpore lacertam æmulantes offenderet His non longe præſentius eſſe venenum bufonis, inter reptilia certe extreme virulentis, omnibus eſt in confeſſo, quamvis maligniòris ſuæ & intenſe frigidæ qualitatis ſummo exceſſu bubones & anthraces peſtilentiali flamma deſævientes in aere exſiccati, Viennæ An. 98 feliciter ſæpius retuderint: & neceſſitate exigente retuſuri ſint. Utrum non hic noſter Capitaneus deliteſcentis mali fomitem ſecum clandeſtino proreptu foverit, ignoro: non tantum unum & alterum annum eundem, ſupervixiſſe ſcio: poſtquam videlicet deſcendentes flumine quidem ſecundo, ſed non ſecundo omine, vel navigio, omnes fere domeſtici ipſius à Danubio abſorpti fuiſſent.

SCHOLIA.

HOſtibus, qui in Vngaria militaturus eſt annumeret has quoque minutas licet, ſed non contemnendas beſtiolas à prudentiſſimo rerum conditore ad noxios virulentoſque vapores, tanquam familiare nutrimentum imbibendos aſſugendosque creatos: Sed interdum, vel ſorte, vel negligentia, vel utraque, ipſis Turcis infeſtiores. Sorte dico, vel caſu, velut huic noſtro ægro uſu venit, ut & pluribus aliis, qui variis modis intoxicati, partim morbis correpti, partim prorſus ſunt extincti. Negligentiam quoque incuſo: cum ſæpius illorum, qui à ſervitiis ſunt, incuria parum munde, parumque caute ſupellex culinaria, vel ea, quæ ad menſam requiruntur, tractantur: ſic, ut humi ſemper fere jacentia, ſæpius etiam ſub dio, aut inter congeſta gramina facile ab ejusmodi beſtiolis conſpurcari poſſint. Accidit enim aliquando nobis: ut in prandio quodam apud Generoſum Dn. Dn. Georgium Ruberum, &c. tunc temporis laudatiſſ: Herois Sigfridi à Kolonitſch &c. ſummum Locum tenentem

tem ex cratere philotheſio Lazari Schwendii (cujus memoria ob res in Vngaria pie, caute, fœliciterque geſtas, non minus in benedictione, quam proditorum patriæ in damnatione ſit) de vino turbidiore omnes potaſſemus, tandem in imo fundo miræ magnitudinis araneam ſumma cum nauſea inventam fuiſſe: quæ ob miniſtrorum negligentiam lagenæ non coopertæ ſe immerſerat. Etſi autem de ovo aureo, quod ad manus realiter cunctis ad hunc caſum non ſine faſtidio inhorreſcentibus parum exhibuiſſem: tamen ego ob mirum, quod inter me & arachnem intercedit odium naturale quaſi, prius animum recipere non potui: quam omnem cibum aſſumptum, vomitu, eoq; moleſtiſſimo, rejeciſſem. Vtroque, tam negligentia, quam ſorte, quenquam huic peſti obnoxium eſſe poſſe tertio adjungo: nempe cum quis in terra, ut fere fit, imo ſæpius inter effoſſas ſcrobes decumbens, ejusmodi beſtiolarum injuriis & inſultibus expoſitus eſſe cogitur. Sic quendam ex pharmacopolis caſtrenſibus cum ſummo mane ſtrophiolum caligis more Hiſpanico concameratis extracturus eſſet, ingentis horrendæq; magnitudinis buſonem, qui iisdem ſe per noctem occuluerat protraxiſſe, vidi, & inhorrui: monens, ut confeſtim affrictu terræ ſiccæ & purioris manum ſedulo detergeret: quod cum feciſſet, nil deinde mali ſenſit. Secus evenit militi haſtato Suevico, viro alias magnanimo: qui cum paulo plus adbibiſſet, ad tentorium rediens, cum inter eundum in buſonem incidisſet, pro rana eundem ob ebrietatem agnoſcens, & commilitonibus ut putarat riſum moturus, captum ſuſtulit: qui cum preſſus, ut ſolent, lotio manum defædaſſet, ille vero rem, ut arbitrabatur, nullius momenti neglexiſſet, manu fœde inflammata, & febre ſymptomatica coingruente miſere tandem contabuit. Simili fere infortunio Capitanei

Bokles

Bokles ſcriba caſtrenſis occubuiſſet, niſi ſui obſervantior non nimis diu malum radices agere paſſus fuiſſet. Ex improviſo n. poſt aurem ſiniſtram carbunculo erumpente, poſtquam media nocte ſe à rana (quod putabat) excitatum confirmaſſet, chirurgo quid agendum eſſet, auctor eram. Quod n. venenum præſentiſſimum hominem coinquinaſſet, vel hinc conſtabat, quod prorſus intolerando fœtore carnes uſq; ad intimum cranium lues depaſceretur. Huc a. forſan non deductus fuiſſem: niſi conſideraſſem è regione Strigonii caſtra metata, eo loci, quem jam per plures ann. rectius cœmiterium Chriſtianorum, quam ſtativa dixiſſes. Tot n. ibidem ſepulchretis colles & valles conveſtiuntur: ut non mirum ſit, ſi tota illa regio cadaverum conſueta ſobole ſcaturiat: &, quod vereor, inpoſterum ſcaturitura ſit. Sic Italus quidam ſignifer An. 97 cum in ceſpite ſupra ſaxum juxta Papam dormitaſſet, ingentem quendam pruritum in aure ſiniſtra ſentiens nos acceſſit: cui cum forte aliquid in aurem irrepſiſſe ſuſpicaremur, diligentius de circumſtantiis ſciſcitantes chirurgo evocato, & homine ad radios ſolares conſtituto, beſtiolam, quam aurimordam vocant, licet jam in ſordibus auris tunc quidem diu, ſed fœlici omine non repurgatæ ſuffocatam extraximus: ſic ut non ſine ratione poſtea humi cubans goſſypio aures obturaret. Obturabant eodem modo aures non ſine conſilio tormentorum grandiorum artifices: ne ſcil. tremendo aeris concuſſu ſurdaſtri redderentur: quod plures magno ſuo malo expertos fuiſſe vidi. Sed de his in Obſervationibus Noricis, quam peculiarem quaſi diſpoſitionem de caſibus ejusmodi requirunt, ad catarrhos ex humi cubando plurimum exacerbatos, cerebro nativa humiditate abundante nos convertamus.

OBSER-

OBSERVATIO V.

STrenuus, & quavis laude Martia dignus vir, Burchardt Lehman, Capitaneus peditatus Suevici per plures annos, quem Anno 97, aſpirante Eloah, ex morbo graviſſimo languoris veri Pannonici cum variis Symptomatibus, Anno 98, ex catarrho ſuffocante præſentiſſimo in portum reduxeramus: Anno ſequenti ex acrium humorum ad oculos defluxu, qui externo errore temere exacerbatus fuerat à cæcitate vix præſervari potuit. Turgebat alias probis ſuccis, ſanguine ob plethoram egregie abundante, ſic ut curationes ſemper à venæ ſectionibus, iisque largiſſimis, eſſent auſpicandæ: cum tamen plerumque lectulis humilioribus & depreſſis uteretur: cibis quoque maxime caput petentibus, carnibus nempe aſſis, more Vngarico alliis infarctis, & vino meraciore non tam uſus, quam abuſus eſſet: in utriusque oculi gravem inflammationem cum maxima lippitudine menſe Auguſti incidit. Erat huic ab officiis chirurgicis Balneator quidam, cujus artificii neſcio, jactantiæ certe ſummæ: is homini, noſtri alias amantiſſimo, ne quamprimum vocarer, diſſuaſerat, prætendens hoc utpote in externis conſiſtens malum, ad Chirurgos tantum, Medicis prorſus excluſis, pertinere. Aſſenſus eſt homini ſtolido vir optimus: quamvis peſſime fere facilitas hæc contra morem eidem ceſſiſſet. Nam poſtquam per triduum myſteriis illis ocularibus, ex aq. roſar. floris cyami, fœniculi & ſimilibus fruſtra Balneator noſter deſudaſſet, doloribus increſcentibus, ecce quo veſanum hominem rudis illa temeritas deduxerit! Ad tempora, imo juxta ipſos oculos cucurbitulas duas appoſuerat: citius ſcilicet utrumque lumen, quam confluentes humores ſalubri iſto conſilio extracturus. Confeſtim igitur evocor: cum non in obſcuro diſcrimine verſaretur, doloribus & humoribus excrementitiis invicem quaſi depugnantibus & aliquot noctes inſomnes extorquentibus. Acriter igitur hominis temeritate objurgata ut quamprimum revulſionem maturaturus ſcapulis & cervici easdem, ſed plures cucurbitulas affigeret, cute pluries inciſa, mandabam: cum

T prius

prius ad rubedinem uſque linteaminibus calidis deorſum verſus diutius perfricuiſſet, ita, ut magna ſanguinis effervescentis copia ebulliret. Tamdiu enim reaffixis ſemper & ſcalpello impreſſo inſiſtebamus, donec magna vi bilioſi ſanguinis extracta per ſe erumpere ceſſarent. Venam quoque communem, cum cephalicæ pertuſio certas ob cauſſas parum tuta videretur, in dextro brachio ſecabamus: quod uterque oculus æque excruciaretur, & propter cor forte fervidumque ſanguinem materia longius derivanda eſſet. Cum autem per noctem medullam panis Ungarici, qui proxime ad ſimilagineum accedit, aq. roſar. ſubactam oculis impoſuiſſemus, & ſub auroram albumen ovi conquaſſatum (quod prius ob ſummam inflammationem, qua mox inviſcabatur, excluſeramus balneatore ſtrenuo ob periculum quod imminere videbatur, in excubiis ſtante,) admiſiſſemus, parvo tempore doloribus conſopitis belle ſe deinde habuit, medicaſtro me intercedente non modo ignoſcens, ſed etiam honorario ſe digno Medicam operam perliberaliter remunerans.

SCHOLIA.

Lippitudines, ophthalmias & ſimiles oculorum paſſiones epidemice quaſi in caſtris graſſari ille non mirabitur, qui ad aeris Auſtralis craſſi humidique dyſcraſiam, & externas ejusdem injurias, quæ ſæpius devitari nequeunt, reſpexerit. Sic multis ex libratoribus tormentorum grandiorum inflammationes palpebrarum eveniſſe vidi: quibus nempe pulveris pyrii vapor, vento repercuſſus, oculos perſtrinxerat. Plures ex allii rerumque acrium potu comeſtuque ejusmodi malis correptos conſpexi: plurimos ex decubi u in terris, cerebro excrementis ſuperfluis repleto, non obſcure ob concurrentium ſymptomatum ſævitiam periclitari vidi. Tribus his catapultis ſimul & ſemel Capitaneus hic noſter cum fuerit oppugnatus (brevi enim antea pulvere tormentario vix non ambuſtus fuerat) non erat mirum: ſi erro-

errore, præſertim magno ſuperingruente, graviter paſſionibus diuturnis ſuccubuerit. Maxime tamen in peditem Suevicum ejusmodi Symptomata deſæviebant: partim quod à ducibus edocti, machinas ad genas admotas, etiam in ludicris velitationibus exploderent: & ſalubri, parum tamen tuta exercitatione Marti litarent: partim cum nativa humiditate colluctantes Auſtris, & illorum injuriis promtius expoſiti eſſent. Quin imo cum Anno 96, motis caſtris in maximis viæ moleſtiis Hattwanum tenderemus, pedites quod impedimenta, quæ defenſionis cauſſa ſtipabant, magnam vim pulveris excitarant, plurimos de inflammationibus palpebrarum, & oculorum doloribus conqueri non mirabar: præſertim poſtquam iniquiſſimo ſolo, cuneis effoſſis, pedites in ſtatione permanere vidiſſem. Idem pediti Italo Anno ſequenti uſu veniebat, poſtquam diutius declivioribus Danubii ripis deſediſſet, & uligines imbibendo tam ad internas, quam externas oculorum paſſiones interneciva clade paulo poſt eheu luxuriaturas habilem ſe reddidiſſet. Pari fato ſuccumbebamus, & quidem epidemice Anno 98. poſtquam ſcilicet arcibus pluribus fauſte quidem, non tamen ſine multo ſudore recuperatis, alveo Danubii redditi, illius eruptionibus crebris, & imbribus perpetuis per plures dies permaduiſſemus. Sequens tamen annus, quo hic noſter correptus fuit, non æque ejuſmodi malis moleſtus erat: cum ſereniſſimo ſemper aere & caſtris in locis apricis ſub Autumnum metatis, frueremur, & vix non fixis plane immoraremur. Plures tamen Anno Jubilæo Sopronii, quo ex caſtris circa Papam inauſpicatiſſime non pauci deportabantur, & æſtate anni ſequentis, antequam fruſtranea expugnatione. Alba regalis Turcis ad tempus eriperetur, doloribus hujuſcemodi correptos, Elohah connivente, longe facilius, quam in caſtris, ſanitati reſtituimus: quod ſub tectis longe alia medendi me-

thodus, quam ſub dio & papilionibus, præſertim in ejuſmodi curationibus, obſervari poſſit. Sed à Capitaneo ad ejusdem Vexilliferum, utrumque ſummum noſtrum amicum transeamus.

OBSERVATIO VI.

VEro languore Pannonico correptus per plusculos dies lecto affixus decubuerat Nobiliſſimus vir, Egenolph Stebenhaber literis & armis egregie cultus, quem per plures annos, ſex fere ſub peditatu Suevico, vexillo ſemper ſumma cum laude præfuiſſe, memini. Ad hunc Gomorrhis commorantem cum Anno 97 eodem die, quo Theodoſia vix magno totius exercitus Turcici conatu, ſummisque viribus, poſt octiduanam obſidionem expugnandá cingebatur, evocatus fuiſſem: viribus extreme proſtratis lethaliter decumbentem inveni. Tuguriolum autem in quo detentus vel incarceratus potius decumbebat terræ affixum usque adeo in anguſtiis poſitum erat, ut propter liberam eventilationem prorſus incluſam, & teporem viro caſtrenſi penitus inſuetum, ſudorem, quem lethalem putabant, hactenus erupiſſe confirmarem. Mutandam igitur confeſtim ſtationem edico, caſula non quidem nimis ampla, ſed tamen in editiore loco poſita, conducta: quo, dictu mirum, cum vix deductus fuiſſet, eo ipſo ſtatim momento ſpiritibus refocillatis multo melius habere, ab eoque tempore dextris remediis adhibitis paulatim reconvaleſcere cœpit, integram tandem ſanitatem fœliciter recuperando. Cum autem tam repentinæ mutationis in melius cauſſas altius perſcrutaretur (nam præter pomum ambræ ex camphora paratum, & intinctus ex malvatico primo nihil ordinaram) ex aeris intercepti privatione malum incanduiſſe, viresque proſtratas fuiſſe, ratiocinabar. Aere enim ſalubri per aliquot hebdomadas, dum Jaurinum non humanis viribus, ſed nutu Jehovæ recipiendum, obſidione cinxiſſemus, fruebamur: cum quod alveo ſuo Danubius ſe ſemper contineret, tum quod jam menſibus Autumnalibus & primo frigore tellure conſtricta per liberam planiciem, au-

ras,

ras, pro ratione loci, ſalubres imbiberemus. Qui igitur ſub dio, puroq; Jove & papilione perflabili quatuor ad minimum menſes vitam duxerat, ad cordis animoſi vegetiq; vigorem reficiendum liberrimo aeris attractu opus habuerat, poſtquam parum caute arctiori ergaſtulo incluſus fuiſſet, ob viciſsitudinem tam moleſtam non poterat non pejus habere, & tandem vix non de ſalute deſperare. Acceſſerat & alius error, quod ob morum elegantiam plurimis gratus acceptusq; raro absq; turba aſtantium fuiſſet: quorum alii moras diu nectendo naturæ, alii multum colloquendo viribus ſæpe vim facientes, malum exacerbarant: cum præſertim ob anguſtiam loci aer per ſe corruptus, facile coinquinari poſſet. Fatebatur autem, poſtquam jam languore devicto, pharmacis exhibitis, vires malo ſuperiores eſſent, ſe primo menſe Auguſti ob eſum cancri ex ripis uliginoſis Arrhabonis cænoſi, extracti, & in olla cocti, nauſeam contraxiſſe: cui opinioni eo promtius aſtipulabar, quod idem flumen in reditu ab expugnata Papa *tranſiens, ſtupendæ magnitudinis cancri male coctas carnes deguſtans ob fœdam mephitim, quam eructabant, eundem fere languorem incurriſſem, niſi mox generoſioris vini cyathum ſuperbibiſſem; & reliquos, ut de tam ſuſpectis cupediis abſtinerent, deterruiſſem. Et eſt quidem Arrhabonis alveus eo loci incredibilis lenitatis: ut illud, quod Cæſar de Arari, quod utram in partem fluat, oculis diſtingui non poſsit, fere de hoc noſtro dici poſsit: profunditatis vero tantæ, ut equum cum ſeſſore, prima ripa penitus abſorpſerit, piſces vero licet multos, putre tamen cœnum ſpirantes, & ulvam ſemper olentes producat. His miles quidam retia poſiturus cum hamum altius depreſsiſſet, fortuna favente* σκέλετον *Turcæ, in aquis ſuffocati, extraxerat, quod in loculis ex crate dependentibus ad centum coronatos piſcatori obtulit. Hunc aureum tripoda caſu fortuito oblatum cum ſimioli quidam æque quæſituri eſſent, unus & alter ſubmerſi, plures morbis maxime ſpaſmicis correpti ſunt. Erat inter hos noſter Georgius Martius Auguſtanus, qui natatu flumen, cujus naturam & latitudinem nondum cognorat, tranſ-*

ſiens, vix ſalvus nobis redditus, cum recaleſieri nullo modo poſſet, in gravem ſpasmum incidit: quemadmodum & hujus Sympatriota Domini noſtri Signiferi Locum tenens, vir egregie macilentus, qui vix crebra olei vulpini inunctione, ab intempeſtivo natatu reſarciri potuit. Vt autem ad hunc noſtrum Dn. Signiferum Egenolphum revertamur: cum fœliciter, Chriſto medicante, ex hac Charybdi enataſſet, Anno 99, menſe Auguſto in Scyllam magis periculoſam incidit: partim ob mœrorem ex obitu cognati Nobilis de Freiburgk: ut in ſeq. obſervat: partim ob contagium, poſtquam in eodem tentorio prædictus juvenis p. m. diutius decubuiſſet tandem vero fatis quoque conceſſiſſet. Corripiebatur. n. diarrhæa ex ſuccis Melancholicis, quibus à natura ſcatebat: quos cum omnium primo evacuandos eſſe dixiſſem, noſtro vero Dn. Signifero res parum tuta videretur, non prius acquievit, quam rationibus convictus, pedibus in noſtram ſententiam iviſſet. Exhibebam a. ſæpius de die brodium piſorum ſaccharo edulcoratum, in quo epithymus, cujus magnam vim Auguſta ex conſilio elegantium Medicorum laudatiſſ. illius Reipublicæ ſecum ſumpſerat, decoctus erat, quod tam ad abſterſionem feculentæ materiæ, quam ad dolores mitigandos non parum faciebat. Conſervæ autem roſar. antiq. quæ lib. 2. decumbenti ad manus erat, ut ſæpius quantitatem nucis juglandis aſſumeret, ſuadebam: cumq; diutius fluxus inſtaret, ut cibis amygdalatis & oryzæ in aq. chalybeata cocta, terræ ſigillatæ noſtratis parum inſpergeret, concedebam, ſplene tamen, ad extremum, ob crebram puto refrigerationem in ſeceſſibus, cum prius nihil mali ſenſiſſet, Ol. capparum calide ſæpius inuncto. His enim ab omni moleſtia liberatus pancratice deinde vixit, ſingulari me benevolentia non ſine honeſta laboris noſtri remuneratione ſemper amplectens.

SCHOLIA.

Repentinam omnem mutationem ſummopere ſuſpectam, naturæq; inviſam eſſe, per ſe liquet. Conſtat & illud,

& illud, primas in his aeris viciſſitudines, præſertim in qualitatibus activis obtinere. Actum igitur fuiſſet, cum hoc noſtro vexillifero, qualibuscunq; remediis morbum aggreſſi fuiſſemus: niſi repentina mutatione remota, aeris liberioris & conſueti attractu eundem, quaſi in integrum reſtituiſſemus. Ad cauſas igitur protacarcticas Medicus caſtrenſis plus fere ſemper, quam ad προηγȣμένας reſpiciat: quod apud imperitos rerum, plurimum ex illis, perparum ex his exiſtimationis ſit conquiſiturus. Quin vel ipſemet poſtquam ſenis fere menſibus annuatim in aere, liberrimo licet, circa Calend. Novembr. acerrimo, ſub tentoriis & dio, duriſſimisq; ſtratis, vitam, ut uno verbo dicam, caſtrenſem duxiſſem, Viennam, vel Strigonium priſcam Romanorum legionum Coloniam & ſtativa rediens, ægerrime capiſtratum, conclavibusq; incarceratum aerem primo perferrebam; ſomnum vero ne quidem ad breve momentum, niſi feneſtris undiquaq; patentibus capere poteram: plumis & delicatoribus ſtragulis non ſine ſudore & anguſtia reaſſueſcendo. Quid vero in arcibus & oppidis limitaneis eventurum putes? ubi plerumque profundioribus foſſis & reſtagnantibus lacunis, valliſque contra barbarorum inſultus munitis caſulæ manſionibus præſidiariorum deſtinatæ in ſummas anguſtias ſunt redactæ, ſic ut plures Gomorrhis, Nova domo, Jaurini, Strigonii, Facia, & alibi in ejusmodi cancellis pejus ſe habuiſſe, imo plurimos occubuiſſe viderim: qui forſan aeris conſueti, licet inclementioris afflatu ſervari potuiſſent. Videbis quoque pleroſque talibus ergaſtulis circumſeptos, etiamſi proſpera valetudine, militari tamen fruantur, lurido pallore deturpatos: quod mapalia plerumque ſumme anguſta liberioris aeris uſum penitus excludant: etſi per ſe quod millies inculcatum, aer Pannonicus ſit ſuſpectiſſimus. Sanctius igitur veterani, qui diutius in excubiis ſtando limites ſupe-

ſuperiorum annorum parum tutis induciis defenderunt, tractari deberent: quod homini vere Germano plurimi conſtet, tam contrariis è diametro rebus, exſuta fere tota natura aſſueſcere. Rectius quoque Vngari facerent, ſi non tam ſarcaſmice debilitatem exterarum Nationum ſannis exciperent (ut ſæpius non ſine ſtomacho audivi) quod omnibus exteris plus ſemper cum Morte undiquaque imminente, quam cum Marte negotii eſſe ſoleat. Nec enim dubitaverim, ſancta fide & experientia oculari ſuffulta, confirmare unicam Legionem Suevicam, quatuor ſemper millibus, ut ſupra dictum, conſtantem, ſecure quadraginta Turcarum millibus, Jehova non repugnante, in acie opponi poſſe: ſi eodem corporum vigore, quo ſæpius Viennam tranſiiſſe vidi, recta ad manus cum hoſte conſerendas deduceretur. Magnum eſt, quod aſſerui: cuivis tamen cordato rationibus evidentiſſimis facile demonſtrandum: ſi præſertim res in pugna ſtataria ad triarios rediret. Sed de his alibi fuſiore colo: ad funeſtum lethalis Diarrhœæ Tragœdiam perveniamus.

OBSERVATIO VII.

Cognatus hujus Domini vexilliferi Nobilis Juvenis à Freiburgk, &c. ætate, formâ & opibus florens vix 18 annorum, experientiæ conquirendæ cauſſa ſeſe ad ſervitia Generoſi Domini Marakiſch Junioris, tunc Signiferi equeſtris ſponte ſua volenſque contulerat, parum tamen ſecundis auſpiciis. Cum enim etiam contra mentem & edicta Domini, ſatis alias munifici in ſuos & perbenigni à conſervis parum humaniter tractaretur: primo in languorem Pannonicum, verum nimis funeſtum incidit: ex quo poſtquam jam ad extremam maciem deductus fuiſſet, vix & ægre ad primum declinati-

nationis limen pervenerat, multum olei & operæ fruſtra perditis. Nam ſtomacho adhuc ob reliquias morbi vacillanti cum male coctas carnes hædinas infarſiſſet, gravi mox diarrhæa correptus eſt, quæ paucis diebus viribus jam ſatis proſtratis, juvenem egregium conſumſit: poſtquam ex tentorio, ſplendido quidem, ſed decumbenti parum commodo, ad cognati Domini vexilliferi noſtri manſionem certas ob cauſſas delatus fuiſſet. Commigrabat autem ad ſuperos mente & ſumme integra, & ſenſibus apprime conſtantibus: quod in omnibus ejusmodi profluviis ſuccumbentibus ſemper fere eveniſſe reminiscor. Hoc unico diuturnorum dolorum ſævitiam rabies Pannonica mitigare velle videtur: ſanam ſcilicet rationem in corporibus lethaliter ægris vel in ipſo agone conſervans. Potuiſſet tamen nobilis hic juvenis ex his Syrtibus enatare languore jam ad declinationem magno molimine deducto: niſi externo errore denuo proſtratus, recidivam, ſemper fere apud Vngaros, ut in Scholio dicetur, lethalem incurriſſet: talem præſertim recidivam, quæ corporibus convaleſcentibus præſentiſſimum periculum intendere ſolet. Quid enim citius titubantem valetudinem proſternere poſſet, quam alvi profluvium, fundamentum ſcilicet ſummopere requiſitæ nutritionis primo ictu evertens? Diu tamen hic noſter de Freiburg. p. m. cum morbo de ſumma rerum depugnabat: partim quod ætas florens naturæ colluctanti gnaviter ſuppetias ferret: partim quod in tentorio Domini cognati Signiferi diæta, & omnibus requiſitis pro ratione loci egregie tractaretur. Panatellis enim ex oryza contuſa, amygdalatis, jecusculis toſtis tritisq. pro cibo, lacte amygdalato, chalybeato & ſimilibus pro potu, Conſerv. roſar. antiq. pro refectione cum alternatim, & quidem ſine intermisſione uſi eſſemus, fatum præſens magis protraximus, quam devitavimus. Et ſane niſi aſtantium crebris interpellationibus ad omnia extreme molienda conpulſus fuiſſem; à jam deſperato facile abſtinuiſſem: cum præſertim caſtrenſis cujusdam pietatis ſit, lethaliter decumbentem non diutius ſub infeſtis doloribus demorari. Hoc tamen boni apud hunc noſtrum ægrum ex admotis & aſſumtis conſequebamur, ut

ſæpius à doloribus reſpirare poſſet, & viribus una ſimul collabentibus agon ſatis atrox futurus, multum mitigaretur. Decedebat enim quaſi dormiturus, ſalutatis omnibus, & quidem, quæ alba cornice in caſtris rariores, inter ſacras meditationes Dominicæ paſſionis: ad quas bonus hic juvenis non minus pie ſancteque confugiebat, quam easdem blaſphemi plerique veterani ſcelerati ſani valentesque nequiter conſpurcant.

SCHOLIA.

REcidivas, ſi non omnes pleraſque tamen in Vngaria lethales eſſe, nemo dubitaverit. Si enim prima ſtatim acie morbi Pannonici mortem intentam videmus, quis hæſitabit, ſi jam natura vix non proſtrata receptui cantatum fuerit, recenti hoſte ſuperveniente de victoria plane deſperandum. Quoties igitur nondum prorſus recollectis viribus ad convaleſcentes, revocabar, toties periculum ſemper exaggerando, vel præſens exitium minitabar, vel ſi in re lautiore eſſent ad aeris mutationem palmarium ſemper in recidivis obtinentem ſedulo exhortabar. Sex enim rerum non naturalium dexter uſus, ſi uſpiam, certe in recidivis Pannonicis, ſumme requiritur. Nam quod ægerrime imbibitum ſemel viru ſumme noxium aeris inconſueti, niſi manifeſta alteratione facta revellatur, cum per ſe verum, tum ex ſuperioribus ſatis conſtat. Aer igitur apud omnes, quos in memoriam revocare poſſum, qui recidivis ſuccubuerint ante omnia mutandus fuit: cujus tamen mutatio non ſemper illud, quod volebamus conſequebatur: etſi plurimis maximas morborum & ſymptomatum viciſſitudines induxerit: neutra quidem ſanitatis diſpoſitione conſtitutos plures non infimæ dignitatis viros caſtrenſes athletice convaluiſſe memini, nullis prorſus pharmacis aſſumtis; ſi modo ex impu-

impuriſſimo caſtrenſi, & Pannonico aere ad longe defecatiorem Auſtriacum reducti fuiſſent. Ad idem feliciter Dominum Dn. Adolphum Schwartzbergium, cujus memoria in benedictione ſit, impellebamus: eundem ex inſaluberrimi aeris Hattwanenſis contagiis, jam cum morbis conflictantem Anno 96. ad montana ſuperioris Vngariæ caſtris educentes. Hic enim ut plures alii nullis fere niſi diœtæ tantum legibus obſervatis pauco tempore reſpiravit: quem in eodem aere ſubſiſtentem vix magno molimine fatis eripuiſſemus. Sanitas autem neutralis cum recidiva quod ἀνάλογον quid & affine ſit, eſt in confeſſo: quod hæc in iisdem terminis in declinatione, quibus illa in acceſſu morborum ſit conſtituta. Hanc autem plerumque apud Pannonas fruſtra devitaveris, illam conſequeris: præſertim in externarum nationum curationibus: niſi vel ad aeris alleviationem, vel mutationem omnium primo reſpexeris. Cibos quoque ad recidivas caſtrenſes plurimum, ſi non omnia, poſſe vel ex hoc noſtro Freiburgio liquet: qui carnibus hædinis (hæ tamen in delitiis caſtrenſibus, quam recte, quis non videt, eſſe ſolent) titubantis adhuc valetudinis ſyſtema prorſus evertit. De cibis enim munde, laute & ſalubriter præparandis, altum ſit ſilentium, in caſtris: præſertim apud ægros, aut jam reconvaleſcentes, quod hi plerumque torvo aſpectu enecti, à conſervis parum pie, ut hic noſter tractentur: illi vero paſſim ſupine negligantur, imo pro catharmatis habeantur.

Locuples hujus rei teſtis erat Noſocomium caſtrenſe magno conſilio, majore pietate, maximis ſumtibus Anno 97. ſapienter, pie, munifice conſtitutum: ſi eventus, aut illòrum, quibus res tanti momenti concredita fuerat, fides & diligentia, votis Reipubl. Chriſtianæ correſpondiſſent. Opinor tamen ingenti decumbentium multitudine, illos quibus res concredita fuerat, implicatos, munia ſua dextre obire

nequiviſſe, ſic, ut Noſocomium illud, vitæ, ſaluti, ſanitatique militari conſecratum in Cœmiterium cunctis vix illatis aut inſpectantibus cederet. Bos enim integer prandii cœnæque tempore vix non cum pelle & carnibus aheno fruſtatim injectus, decoquebatur: hujus jurulenta fruſta promiſcue cunctis in terra proſtratis ægris obtrudebantur; tanto ſucceſſu, ut neminem, plane neminem, teſtor fidem, in illo Noſocomio ſanitatem recuperaſſe, ſed omnes una cum aſtantibus, Medicis, Pharmacopolis, Chirurgis, curatoribus, ceteris denique omnibus interneciva clade deletos certo ſciam.

Idem de Potu judicium eſto: cujus vel unicus hauſtus intempeſtive, vel parum caute ſumtus ad recidivas lethales reducere poteſt.

Sic cum Capitaneus Holtzapffell vir meliore ſorte dignus, ex morbo graviſſimo convaleſcens regione Plinteburgii muſtum vix pitiſſaſſet, in enorme ventris profluvium incidens, ex recidiva vix reſtitui potuit: fruſtra tamen: cum paulo poſt à ſicariis in rate propria cum tota familia de nocte fuerit confoſſus. Vina quidem, cereviſiæ, Julep, mulſa, aquæ coctæ & crudæ, quod tam ægris, quam reconvaleſcentibus in Vngaria, ſuſpectiſſimæ ſint, ſæpius jam diximus: & tamen his ſanitas conſervanda & reſarcienda, ægre vero fluctuans in æquilibrio quaſi conſervanda eſt. Motus quoque & quies non penes ægros aut morbis ereptos, ſed penes rigorem caſtrenſem, aut impotenter dominantium Ducum, vel procaciter inſultantium ſodalium & commilitonum importunitatem, locum merentur: quemadmodum & ſomnus vigiliæque modo ab hujus, modo ab illius cenſura & arbitrio dependentes, facilime ex Charybdi in Scyllam quoſvis ne dum ex Erebi faucibus vix ereptos præcipites dare poſſunt. Excretiones quoq; quas interdum ſanitatis dæmon verecundia, interdum occaſiones impediunt, plures ad recidivas impellere

pellere poſſe vero verius eſt: ſic magnæ exiſtimationis Baro quidam cum poſt morbum ſatis gravem menſæ aſſediſſet, & paulo plus adbibiſſet, non tamen ob verecundiam naturæ, urinæ excretionem urgenti, manus dare vellet, paucis horis extinctus eſt, non ſine gravi tumultu. Quod vero Pathemata animi in caſtris tanquam in vaſtiſſimo Oceano cunctis totius orbis procellis liberrime velitentur, vel lixis & calonibus notum. Vbi enim major perturbationum animi ſentina confluxerit, quam in caſtris: quæ vix non ab horum nutibus & imperiis prorſus dependent: imo ex earundem Tyrannide ſortis utriuſque progreſſus ſemper plus, quam ex ratione æſtimare ſolent. Quam multos igitur, vel ex horum tantum Pathematum συνδρομῇ recidivas incurriſſe putabis? cum ſæpe ex eorundem furiis etiam ſanos viribuſque valentes lethalibus morbis corripi & exſtingui viderim. Forſan & huic noſtro liberaliter educato, candidique pectoris juveni, minus cognitis calumniis & technis mœrores inſueti accreverant: ex quibus primi languoris fomentum conceperat: quod luculenta flamma depaſtum, tandem tamen ſub favillis deliteſcens, iiſdem follibus denuo ſufflatum uſque ad Charontis cymbam deſævit. Sed manibus ſat datum: ad vivos redeamus.

OBSERVATIO VIII.

FErdinandus Hervvvardt, patritius Auguſtanus, armis, animis, & annis vigens Anno 98. in oppugnatione prima Budenſi carnes vervecinas male ſalitas coctasq; comederat: hinc per aliquot dies de dolore ſtomachi & anorexia conquerebatur, cumq; alias ſyncipitis elati, frontisq; decenter protuberantis & niveæ eſſet, catharris collectis, ob phlegma crudum ad os ventriculi ſenſim delabens, malum indies exacerbabatur. Omnium igitur primo, extracto rad. Aſari ſentinam ex ſtomacho, bono cum ſucceſſu, niſi quod pluſculum

 langue-

langueret, (quod aeri mirum in modum turbido, cœnoſisq; caſtris aſſcribebam) evacuata, ab ore ventriculi adhærens phlegma abradebam, hinc loco affecto ol. cydonior. ſæpius inuncto, & cerebro prius extract. pill. cochiar. ad ʒ. ß. evacuato, ut coctis quoq; cydoniis veſceretur, conſulebam. Cydoniis, quæ in Ungaria nectar & ambroſiam ſpirant, tunc abundabamus: quibus quidem cum etiam gregarius miles frui poterat, acceptum referebam: quod illius Autumni cælo ſumme noxio pluvioſoq; diarrhœis non nimium exagitabamur. Horum autem eſum cum nimium præcepti noſtri memor ſtricte continuaſſet, in conſtipationem diuturnam incidit: qua tamen paulo poſt victu humidiore, & potu hydromelis, quod ſcite coctum paratumq; ex Montanis Transdanubianæis tolerabili pretio devehebatur, ſoluta pancratice valuit: ut in carnes vervecinas poſtea plurimum nauſeabundus abominaretur.

SCHOLIA.

ET ſane ſunt carnes vervecinæ apud Ungaros ſucci craſſioris & propter adipem ſumme noxium, nec non concoctioni contumaciſſimum plurimum ſuſpectæ: quas nemo facile, niſi egregie boni ſtomachi impune præſertim male maſticatas ſubegerit. Fauces enim gratia jucundioris ſaporis, qui proprius eſt huic carni, ineſcatæ manſu diuturniore ſæpe quidem easdem contererent: niſi fames urgens & ventriculus avidior, dentibus illas ſubtraherent. Nam & mihi uſu venit, cum apud Dominum Dominum Janum Ruberum, &c. Anno 97. menſe Octobri prandio diu protracto intereſſem: & primo diſco carnes aſſæ inter alia calentes adhuc apponerentur, illarum infarctu avidiore, ſic ſtomachum oneraſſe: ut vix non iisdem malis, quibus hic noſter Herwarttius detinebatur, correptus fuerim. Et plus forſan damni daretur, niſi miles nimia caritate inter-

dum

dum ab ingurgitatione harum carnium retraheretur. Nam & ipſemet interfui, cum vervex unicus ab improbiſſimo quodam nebulone congiario corrupto pro duodecim Vallenſibus æſtimaretur: Sic, ut ſingulæ quatuor partes trinis Joachimicis vænierint. Quem quidem pro dignitate in furcam elatum iri vidiſſem: niſi jam reſti adjudicatum, lacrumis coactus, licet indignum, eripuiſſem. Eſt enim & hoc Medici caſtrenſis: cum indies cuncta caſtrorum loca obire cogatur, ſimul in rapinas & impoſturas illorum, qui res ad victum neceſſarias venum exponunt, lynceum eſſe: ne videlicet miſeri ægri, quibus ſola diæta interdum ſubveniri poteſt, ac Harpyis ejusmodi prorſus deglubentur. Nam & Steinle Legioni Suevicæ ab epiſtolis judicialibus cum diuturniore ἀπεψία contabeſceret, ex eſu carnis vervecinæ, quæ cum carui & aceto cocta fuerat, integram ſe ſanitatem recuperaſſe, ut & plures alii conteſtabatur: cum ejusdem Legionis Præſes judicii, vir & à natura, & propter officium prorſus melancholicus, ex eodem cibo, exemplo ſodalis perperam motus, in dyſenteriam vix non lethalem, incidiſſet, acore ſcilicet nimio atra bile concitata, & in plicis inteſtinorum impedita, primo dolores colicos, mox cruciatus dyſentericos excitante. Nam & in hoc infœlicior altero fuerat: quod aceto ex vino quidem, uſus erat, qui tamen ex injectis placentis quibusdam factitiis acorem contraxerat, non minus noxium, quam ingratum. Aquæ fortis enim perurens virus ſæpius ſpirare ſenſi tala acetum tanta acredine: ut fauces aliquando mihi ex intinctu tam ſuſpecti aceti excoricarentur. Idem expertus fuerat Comes Lodronius; apud Bokle, ni fallor, Capitaneum Suevicum decumbens, cujus linguam & palatum, abſque febre vel languore Cauſonico poſtquam fatiſcere, & quaſi deglubatam viderem, Chirurgum, qui male pro angina, illa cordiali ut vocant, eluendo, tergendo &

raden-

radendo malum exaſperarat, admonui: ut his relictis Sem. cydonior. aq. roſat. maceratum & in petia ligatum linguæ confeſtim imponeret: collum vero ol. violato roſatoque inungeret: fauces decocto flor. roſar. & chamomil. eluendo. Etſi enim raucus erat: tamen ſe poſt lucium in aceto illo ſuſpecto coctum, & embammata acida quibus delectatus fuerat, illam gulæ aſperitatem ſemet incurriſſe proſuſurrare, poterat. Videant igitur Apitii ne in regionibus ignotis modicæ delectationi conſulturi, pro ineſcamentis gulæ, damnum paciſcantur. Aliter enim hic, aliter illic cibos & ciborum condimenta tractari nemo neſcit. Scitur & illud: diverſis potuum generibus, quamvis terram, imo quamvis vineam fere domum, telluremque peculiari mero, Zytho, lymphaque, plurimum diſtare: quod æque de mulſo ſive hydromelite perpetuo verum eſt. Lithuaniæ quidem jure ſuo reliquis præfertur: quod tamen Viennæ & interdum in caſtris guſtavi non contemnendum videbatur: imo maſſis panis bis cocti inſperſum opiparas interdum dapes, Iſtro ad ſubvectiones ob tempeſtates impedito, elargiebatur: quamvis ad plures capitis, pectoris ventriſque morbos etiam in caſtris neceſſarium eſſe cenſeam. Sed de his alibi fuſius: ad caſum Tragicum; niſi fœliciorem cataſtrophen ſortitus fuiſſet, digrediamur.

OBSERVATIO IX.

Phreneſi, eaque continua, ſed absque febri corripiebatur Juvenis quidam 20 circiter annorum ex nobiliſſima familia Suevica, quod jure ſilentio involuitur, oriundus. Ad hunc à ſupremo Locum tenente Reiſchachio deductus, inveni eundem maxime inquietum, perpetuis vigiliis exagitari. Delirium a. per ſe non admodum moleſtum, ſed ſuave potius videbatur. Dicebat n. ſe ſummum

mum

mum exercitus Ducem eſſe, & hinc in Legionibus conſcribendis & auctorandis, mox in aciem producendis mire occupatus erat, aliquando tanquam in conflictu repente exſiliebat, & mox quaſi copiis dimiſſis paullum quieſcebat, potumq́; ſibi dari tanquam re bene geſta depoſcebat. Semper a. poſtquam parum quaſi alte rebus intentus muſſitaſſet, in eadem ſcena verſari videbatur, modo in deſignandis ſtationibus, modo in metandis caſtris plus ſatis occupatus, etſi nonnunquam in riſus & cachinnos effuſiſſimos exſolveretur. Hæc quæ ſpectatoribus ridicula, mihi ſuſpecta erant, non negligenda præmonebam: & idcirco ſemper in pervigilio duranti ſomnum conciliandum, & ad periculum devitandum unum & alterum in excubiis miſero adjungendum conſulebam. Erat autem utrumque permoleſtum, cum quod flagrantiſſimo Sirio torreremur: tum quod ob continuos armorum fremitus & ſtrepitus, ingenium ſatis vegetum & Martium inquietaretur: paucarum horarum ſomno conciliato, ut ex turbis caſtrenſibus Poſonium vel Viennam retraheretur, auctor eram. Ad hoc autem cum nulla arte, nulloque molimine induci poſſet, & Id. Sextil. Anno 96. Facia Hattvvanum caſtra mota eſſent, miſer ille neglectus & œſtro percitus concitatiſſima fuga Peſthum verſus recta ſe contulit, Turcis procul dubio in manus venturus, niſi à militibus Hungaricis, qui hinc inde in inſidiis collocati fuerant, interceptus, & nolens volens ad crudeliſſimum pali ſupplicium Faciam retractus fuiſſet. Illi enim hominem eleganter veſtitum pro Pribego, quod illis Transfugam ſonat, proclamantes omni cultu non modo ſpoliarant, ſed fuſtibus, pro more ad necem uſque pulſatum, animis ob contumelias, quibus homo innocens & mentis impos immanes lictores affecerat, efferatis & in furias converſis, jam jam palo horrendum in modum affixiſſent, niſi caſu, eoque fortuito, interveniens, à crudeliſſimo mortis genere vix & ægre, fauſto tamen ſidere, eripuiſſem. Weida enim quidam in arce Faciana ex diarrhœa decumbebat, quem cum 14 Auguſti ſummo diluculo inviſerem, in ipſo limine prælongum palum, imo trabem, exacui videbam: cumque maleficum mihi monſtrari rogaſſem, bonum

meum illum Ducem, ſola camiſia indutum, utraque manu cataſtis onuſta, videbam & ingemiſcebam. Dici n. nequit, quam ægre miſerum hominem immanium carnificum ungulis extorſerim: etſi ſuperos inferosque teſtes innocentiæ captivi dejerarem: ſic, ut niſi Weidam illum me deſerturum interminatus fuiſſem, meque vadem pro captivo obtuliſſem, vix impetraſſem, ut vinctum manibus pedibusque & rhedæ alligatum ad caſtra Hattvvanenſia cum literis meis ad cognatos deduxiſſent. Hos poſtquam Weida comite de periculo nobiliſſ. Juvenis edocuiſſem: dictu mirum, quam primo inhorruerint, deque quamprimum ad patrios penates remittendo, conſilia inierint. Sed hic opus, hic labor erat? quî hominem caſtra tantum ſomniantem, è caſtris ad tutiora relegaremus: cum nihil minus, quam togam ſpiraret. Conſulentes igitur dementiæ Mavortiæ, literas ſub Magno thaleri impreſſi ſigillo ementitas confingebamus: utque illarum auctoritate Viennam regreſſus Legionem pedeſtrem conſcriberet, ſecumque ad caſtra reduceret adhortabamur: quod munus imaginarium ſpei fiduciæque plenus alacriter ſubire geſtiebat, nunquam ſcilicet ad caſtra reverſurus. Ita enim nos moleſtiis, & ille periculo liberatus maximas ob tempeſtive allatam opem gratias à cognatis retulimus.

SCHOLIA.

CONſuevere noſtrates, fato certe fatuo, nonnunquam ſecum ad caſtra deducere, blanditiiſque pellicere, ut aliquoties vidi & audivi, miſeros homines, qui partim mentis prorſus impotes, vitam extreme afflictam, plerumque poſt multas vexationes, ſpreti deſertique ducunt: partim ab alienatione mentis funditus peſſum eunt: partim ut hic noſter, paulo imbecillioris cerebri truncülentiæ militaris aſpectu, duriſſimoque vitæ genere vel morbis ad phreneſin deducuntur. Æque damnandum morem cenſeo illorum procerum, qui vix à primo lacte ſcitulos interdum puellos ſecum

cum ad caſtra rapere conſueverunt, inſontes animas, licentia caſtrenſi, ut molliter dicam, turpiter defœdaturi. De vulgo enim militum nihil dico, qui quacunque tandem ratione modoque puellas interdum vix decem annorum, plagium ſæpe committentes, ad Vngaros deducant, parum curant. Hæ enim miſellæ quam indignis modis in terra hoſtili tractentur, quamque omnia extrema perpetiantur, verbis effari nequit. Vnicum tamen tam funeſtæ conditionis, quod maxime ante oculos adhuc obverſatur, exemplum, in medium adducam, ut ex hoc rerum ignari de ſimilibus judicare poſſint. Accedebat tentorium meum circa Id. Octobris Anno 96 puella quædam, facie admodum liberali & pervenuſta, ſtipem flagitatura. Hanc cum crinibus detonſis propter prætextam Sclopetariam, quæ ſola de humeris dependebat, calonem putarem, & hinc jurgio adorirer: quod puerum frontis tam exporrectæ ad caſtra ſeductum dolerem, illa ſe puellam fatebatur, deque milite ſeductore, qui ex Gemina Vnda Sueviæ oppido blanditiis dementatam abripuiſſet, abreptam turpiter tractaſſet, & tandem immaniter rejeciſſet, conquerebatur: Miſertus igitur formæ tam egregiæ, licet ſub cœno & fœda illuvie ſepultæ, Viennam tandem remittere veſtitam prius ſtatuebam. Vt igitur juxta tentorium ſarmentis involuta pernoctaret poſt cœnam jubebam. Summo mane rhedam dimiſſurus, cum prius offam paratam offerre voluiſſem, præter os ſacrum, nihil, ah heu miſere diſcerpta puella inveni: quod canes carnis humanæ guſtatu efferati dubio procul mordicus arreptis faucibus fruſtatim dilanieſſent. Miſerādo modo hæc perierat: paucis elapſis diebus modo longe magis miſerando perierant illæ, quæ poſt conflictum Kereſtinanæum ſcuticis à Tartaris Turciſque inſtar pecudum abactæ, corpore ad ſervitutem, anima ad damnationem, utramque æternam ſunt detruſæ. Sic enim

 ocu-

oculatus quidam teſtis mihi retulit: armentorum inſtar plurimas & in his multas tenerioris ætatis puellas ſimul captivas deductas, tanquam tam vilia mancipia ſeorſim populari faſtu turgens hoſtis dedignatus fuiſſet. Sunt ſane non privandæ ſuis elogiis honeſtæ matronæ: quæ viros, in hoſtes euntes, per ſaxa, per ignes, concomitantur, cum hoc fidei conjugialis ſacra non modo admittant, ſed etiam requirant. Mundificandis enim veſtibus, reique culinariæ cum jure præficiantur: tum quod omnium maximum ad curandos ægros neceſſario quaſi poſtulantur, quod harum fide & indefeſſa promtitudine etiam rebus ſæpe deſperatis, non paucos ſanitati reſtitutos recorder.

Sed hoc ſummopere redarguendum ſtatuo: quod homines ad nihil minus, quam ad militiam nati, aut ob ætatem vel ſexum prorſus imbelles, aut etiam parum ſani cerebri, tanquam ad delitias, & otium, data opera undique conquirantur: ne videlicet deſint, qui caſtra ineptiis, ſordibus, lamentis & trepidatione, quando ad manus ventum fuerit, conturbent. Nihil enim hic de commeatus, cujus ſubvectiones ſæpe importuniſſimæ, inani dilapidatione dictum volo: quamvis plerumque eo res redit, ut vel nimiæ credulitatis vel temeritatis ſatis atroces pœnas dent ejuſmodi homines, nauci & fruges conſumere nati: cum tandem ab omnibus deſtituti in terra hoſtili miſere ſæpius contabeſcant.

Nam & ipſemet vidi aliquot commiſeratione dignos moriones, quos religioſi quidam primores ad riſus & cachinnos ſecum deduxerant, ad extremum penitus neglectos, fame frigore, ſordibus, & omnium rerum inopia miſere contabuiſſe: quod utrum apud Zelotas Chriſtianos riſu & cachinnis dignum ſit, ipſi viderint. Mihi quidem ſic videtur: quendam ſummi nominis heroem in caſtris rectius operam ſuam collocaſſe, quod, cum prorſus diſturbatæ rationis famulus

obve-

obveniſſet, vexando, & ſeria jocis miſcendo, ita hominem exagitarit, ut dementia ſenſim depoſita, tandem in virum cordatum, qui adhuc in vivis eſt, evaſerit. Et adhuc in memoriam mihi revoco exclamationem noſtri Domini ab Reiſchach p. m. qui poſtquam, quanto in periculo noſter hic mentis impos verſatus fuiſſet, intellexerat, ſancte dejerabat: nunquam ſe vivo quenquam aſſiduis vellicationibus, moleſtiis & gerris ad inſaniam uſque diſtorqueri paſſurum: cum hujus noſtri Juvenis ſortem adverſam, ex ejuſmodi ineptiis primo transplantatam, mox altiores radices egiſſe, recte conteſtaretur.

OBSERVATIO X.

Illuſtris & generoſus Comes à Zollern, *&c. tunc temporis in Legione Suevica Duci à Morsburg ab officiis bellicis, ætate & formæ venuſtate florens, licet paulo in bilem propenſior eſſet, cum ſecundo flumine, Idib. Julii Anno 99, eadem navi, qua ego ad caſtra redibam, Vienna Strigonium deſcenderet, de capitis continuo licet, non nimis infeſto dolore conquerebatur. Sentiebam & ipſemet cum vix per diem, Poſonium usque delapſi fuisſemus, gravedinem quandam ſic ſatis moleſtam, quæ tamen priusquam ratem ingrederer, prorſus obmutuerat. Cum autem ob magnam vim pecuniæ, quæ in aliquot tonnis ſimul devehebatur, ratis altius ſub undas deprimeretur, & ſentina paulatim per neglectas rimulas ad ima confluxiſſet, confeſtim mephitim illam putrem moleſtiæ noſtræ cauſam eſſe conteſtabar: cum præſertim ratis contra injurias aeris asſeribus tecta liberam reſpirationem, non ſine noxa, excluderet. Erat autem deſtillationibus, iisq; ſubtilisſimis Dn. Dn. Comes ſatis obnoxius, cumq; dolores capitis paulatim intendi quiritaretur & diæta nautica, nec non vinis turbidis vivendum eſſet, periculum eſſe præſagiebam, ne paulo poſt catharris ad viſcera devolutis, diarrhæa*

diuturniore corripetur, cum præſertim in aula Brandeburgica laute educatus, ejusmodi cœnis, in quibus fame ſæpius obſonandum eſt, parum aſſuetus videretur. Promittebat tunc pharmacis ſe prima oblata occaſione uſurum, quo quidem dextre προφύλαξει *ſanitati ſatis fluxæ conſuluiſſet: Sed primum vix pedem caſtris inferens neſcio quibus negotiis irretitus, veredo ocyſſime Viennam rediens, inteſtinis graviter concuſſis: mox inde lintre parum inſtructo ad caſtra rediens tantam vim ſibi intulit, ut non niſi longo tempore, variisq; adhibitis remediis à morte præſentiſſima eripi potuerit. Acervum enim fœni vix elapſa altera hebdomade tranſiens, lurido, imo lethali pallore, quem paulo ante floridum ſucciq; plenum reliqueram, Dominum Comitem deturpatum videbam & obſtupeſcebam, non jam ex vultu, ſed cultu potius agnoſcendum. Erat enim facies prorſus Hippocratica, temporibus & oculis concavis, naſo aquilino, ore geniſq; luridis, tum macies totius corporis tanta, quantam vehementiſſima diarrhœa continuis frigidæ hauſtibus exacerbata, inducere potuerat. Hæc enim, cum vix veredum conſcendiſſet, fortiter Dn. Comitem arripuerat, ſedibus plus minus triginta ſingulis diebus excarnificando, noctes vero eadem rabie non ſine exquiſitis torminibus inquietando. Lingua faucesq; ſcabritie quidem ſqualebant: ſed omnibus conſideratis, ex aſſidua aquæ parum limpidæ ingurgitatione potius, quam aliunde inductum, dicebam. Erat n. ut ante dictum, ad iram proclivior, & idcirco impatiens, ſic, ut laxis habenis ſibi indulgeret, Parcis proculdubio litaturus, niſi magno ſuo malo edoctus ſero tandem, cautius mercari didiciſſet. Quamprimum igitur omnem frigidæ potum ſerio interdicebamus, interdum tamen ad aquæ chalybeatæ hauſtum, quam, utpote prorſus inſipidam, pro ſimplici obtrudebamus conniventes, quod homo ſui cerebri non ad normam Polycleti commoderandus eſſet, cum nimis cito excandeſceret, & irarum flammæ, jam toto corpore commoto, nequaquam ſufflandæ eſſent. Hinc quantum fieri poterat, modo indulgendo, modo morem gerendo paulatim noxium unum poſt alterum ſubtrahebamus, donec admo-*

admotis & aſſumtis, conſuetis in ejusmodi diarrhæis, remediis, diligenter & ſucceſſive tandem, licet tarde, hoc, quod volebamus, conſequeremur. Ductitavit n. ſequentibus annis turmas equeſtres non ſine laude, cum piſcator jam ictus fluxam ſanitatem ſanctius habendo, aut non procellis quibusvis ſemet expoſuiſſet, aut vix afflatus ad Medicos feſtinaſſet.

SCHOLIA.

NEmo miretur generoſum hunc Comitem Zollerenſem, ex ſentina navali, tam gravia ſymptomata incurriſſe: cum nimis notorium multaque experientia probatiſſimum ſit; nullum fere morbos & mortem effugiſſe, qui in lintribus, præſertim concameratis, flumini ſupernatantes, vitam diutius duxiſſent. Nam & ipſemet cum Dominum de Trautmansdorff Anno 96 tecta rate per biduum comitarer, & Anno 98 imbribus coactus in nave manſionibus commodiſſimis inſtructa pernoctaſſem, non aliter me habebam, quam ſi triduanæ crapulæ inſerviens, noctes dieſque inſomnes egiſſem. Fieri enim non poteſt, quin, licet diligentiſſime obturatis navibus, ſentina ſenſim corrivetur: quæ, utpote aſſeribus tecta, neceſſario computreſcens, putrem & hominum vitæ ſumme contrariam mephitim eructat: unde malorum ilias, & morborum cataclyſmi ſcaturiunt. Eſt autem fere computreſcentis aquæ fœtor ille, ſi quidquam aliud, ſanis hominibus adverſus & plus moleſtus, quam credi poſſit: cum præſertim putor ille turbidi cœnoſique Danubii peculiari quaſi malignitate peſſime computreſcat. Accedit & illud, quod in concameratis iſtis ratibus ex aere incluſo craſſisque vaporibus culices, cimices & ſi-

& ſimiles luxuriantis putredinis exercitus in aciem producantur: ſanos ob importunitatem ad languores, languidos & decumbentes plerumque ad necem deducentes. Sed de his in ſuperioribus dictum: recipiamus nos in portam: Angelum magni conſilii, ut etiam in poſterum ad ſacroſancti ſui nominis gloriam hos Orientis & Occidentis motus vindex & ultor effuſi ſanguinis Chriſtiani commoderetur ſuppliciter rogantes.

ἐν δυστυχίαις λάμπει τὸ καλόν.

INDEX RERUM
PRÆCIPUE MEDICARUM
L. B. S.

QVoties numerus, citra mentionem Decad. in hoc Indice occurret, memineris, B. L. Decadis primæ paginas eô indicari: Typographi enim, an noſtrâ dicam culpâ factum eſſe (levi tamen) ut ſingulæ Decades novis numeris diſtinguantur.

A.

Aceti fortioris nimius uſus Dyſenteriam facilè excitat. Dec. III. pag. 41.

Acidum in ventriculo cauſa famis eſt. D. II. pag. 17.

Aër duplici modo ad ſanitatem hominis concurrit. pag. 56 fuliginoſus inducit morbos Pannonicos. 32. temperatus conſervandæ valetudini multùm conducit. 57. Auſtriacus & Septentrionalis ſaluberrimi 52. ſeq.

Aëris Hungarici qvalitates. 49. 52. vel in exceſſu, vel in defectu peccat. 52. plus Turcis, qvam Germanis favet. 55. non eſt ejusdem qvalitatis cum gallico aëre. 56. Vermes producit. 49 telluris effoſſione infectus enecat homines. 60. Ejus mutatio qvantum poſſit in morbo Ungarico 30. 52. D. III. 30. 33. 36. ſeq. ejus malignitatem adaugent variæ ſordes caſtrenſes. 58.

Agamemnon Homericus exemplum boni Ducis. D. II. 20.

Allium Ungaris antidotum eſt & panacea. 36. 39. non minus familiare illis eſt, qvam panis. 36. Germanis non tam ſalubre eſt, qvam Ungaris. 35. ſeq.

Animalia venenata, qvomodo producantur? D. III. 23. caſu, vel culpa noſtra, vel utroq; ſimul nobis nocent ibid. 24.

Ἀνορεξίας hiſtoria, cauſæ & curatio. D. II. 13. D. III. 39. ſeq.

Απεψίας hiſtoria, cauſæ & curatio. D. II. 13. ſeq.

Aprugna caro Hungarica qualis? D III. 14.

Aqvæ qvotuplices? 37. de ſingulis judicium. ibid. & ſeqq.

Aqva Paludoſa & limoſa varios morbos, & inprimis Ungaricum, concitat. 35. 37. Ejus potu Itali milites moriuntur. 35. viva non eſt decoqvenda. 16.

Albaregalenſis noxia. 41. Danubii valde turbida. 16. exæſtuans febres excitat. 18. paululum ſubſidens non plane inſalubris. 37. 39. 41. Hadvvanenſis

nenſis ſumme inſalubris D. III. 16. ut & Papenſis. 35. 41. item Theodoſiana. ibid.
Arrhabonis fl. proprietates. D. III. 31.
Aures obturare goſſypio, duplici de cauſa conſultum eſt. D. III. 26.
Avellanæ dyſenteriam & lienteriam facilè inducunt. D. II. 40.

B.

Balneatores, an ſint in caſtris alendi? 24.
Bilis copia in caſtris facillime coacervatur. 48. ejus cauſæ variæ recenſentur. 49.
Bilis atræ ratio primario habenda eſt in Viris Martiis. D. II. 22 excrementitiæ ſpecies. D. II. 23. earum diſtincta & ordinata per vomitum ejectio. ibid.
Bilioſi morbi Hiſtoria, cauſa & curatio. D. II. 22. ſeqq.
Bufo calcatus mictu venenum excernit. D. III. 21. ejus venenô infectorum hiſtoriæ & curationes. ibid. ſeqq.

C.

Cachexiæ hiſtoria, cauſæ & curatio. D. II. 10.
Cadavera jumentorum & hominum aerem corrumpunt. 58.
Calculus, qvomodo generetur? D. II. 30.
Calor nativus aere indiget. 57.
Canes in Vngaria cadaverum humanorum carne ineſcati etiam vivos homines diſcerpunt. D. III. 45.
Caro ſuilla, probe cocta, ſalubris; ſin minus, noxia eſt. D. III. 14. ſeq.
Carnes ſemicrudæ & male præparatæ variorum morborum cauſa ſunt 28. ſeq. D. II. 13. concoctu ſunt difficiles. 34. pituitam craſſam & lentam generant. D. II. 17.
Bubulæ & vervecinæ noxiæ & caræ. D. III. 40. ſeq. morbum Ungaricum augent. 33. aprugnæ qvales? D. III. 14.
Ungaricæ humiditate præpollent. D. III. 14.
Caſeus, famelicorum deliciæ, non tam vino, qvam Zytho diluendus D. II. 29.
Caſeis ovillis, optimi ſaporis, Sileſia abundat. ibid.
Caſtaneæ & pruna Colicam facillimè excitant. D. II. 32. 40.
Caſtra, non ſint nimis diu uno in loco. 38.
Catharroſæ deſtillationis hiſtoria, cauſæ & curationes. 21. ſeq. 25. D. III. 4. ſeqq. 39. qvinam lethales morbi ex iis oriri poſſint. D. III. 39.

Cauponum pravitas. 37.
Cauſonidem, qvomodo curent imperiti? 20.
Cephalalgiæ hiſtoria, cauſæ & curatio. D. III. 10. ſeq. 47.
Cerebrum ſedes eſt morbi Ungarici. 32,
Cereviſia in locum vini deficientis, ex variis locis advehitur. D. II. 11. ejus uſus præ vino commendatur. D. II. 30. turbida & feculenta qvos morbos afferat? D. II. 12. ejus uſum vini qvondam penuria in Auſtriam introduxit. D. III. 13. eâ aſſveti, vinum pari menſura bibendo ſanitati ſuæ vim inferunt. D. II. 11.
Cereviſiæ ungaricæ qvalitates D. II. 20. ſeqq. Auſtriæ prærogativa. D. II. 11. illi præſtant Sileſiacæ & aliæ. D. II. 12.
Chirurgi imperiti ipſo hoſte ſunt magis noxii, 20. eorum in caſtris multitudo. 19. ruditas & pharmacorum apparatus. ibid. & ſeq. medendi methodus. 20. illis qvandoq; ignoſcendum. 21.
Chirurgi cujusdam temeritas & ignorantia. 18.
Clyſter. vid. Enemata.
Colica, prodromus fluxuum alvi. D. II. 31. ſeqq. in paralyſin interdum degenerat. D. II. 34. ejus dolores qvanti? ibid. eâdem laboranti duo obſervanda. D. II. 39.
Colicarum paſſionum hiſtoria, cauſæ & curationes. D. II. 31. ſeqq. 36. ſeqq. 43. ſeq.
Concoctionem primam vini fortioris hauſtus adjuvat; ſecundam non item. 36.
Concordia & amica converſatio in caſtris, qvam ſit neceſſaria? D. III. 19. laudantur eam ob rem Nobiles Sileſiaci. D. II. 5.
Corpora parva campeſtria. vid. Myrothecæ.
Cotoneorum uſus in alvi profluviis ſiſtendis. D. II. 46. ſeq.
Culices. vid. Goltzſchen/ & Pediculi.
Curationes non ſunt differendæ. D. II. 25.

D.

Danubius, unde nomen habeat? 37. ejus encomium. 38. ſolus ex omnibus Europæ fl. verſus orientem tendit. ibid. ſæpius terras finitimas inundans tetros vapores producit. 57. D. III. 5.
Diarrhœæ hiſtoriæ, cauſæ & curationes. 18. D. III. 16. ſeq. 32. 35. 38. ſeq.
Diæta in caſtris obſervatu eſt difficillima. 33. ſeq. D. II. 17. qvid circa

 eam

eam notandum ? 34. in ea ſæpiſſime error committitur. D. II. 42.
Dyſenteriæ hiſtoriæ & remedia D. II. 48. ſeqq. D. III. 41. ſeq. ejus cauſæ variæ. D. II. 51. ſeqq. pannonicæ omnium ſunt crudeliſſimæ. D. II. 55.

E,

Enemata, qvalia in colicis vitanda, qvalia adhibenda. D. II. 33. ſeqq. horum præparatio ab Autore præſcripta. ibid. 35. ſunt loco ungventi Anodyni. ibid. eorum uſus in reliqvis ventris morbis. ibid. eorum diverſæ compoſitiones & uſus. 7.
Eqvites, cur magis Iliacis pasſionibus obnoxii ſint, qvam pedites? D. II, 31.
Excrementorum retentio Colicam inducit. D. II. 32.

F.

Febris ephemeræ hiſtoriæ, cauſæ & curatio. 6. ſeqq. 13. ſeqq. Tertianæ. 17. ſeqq. acutæ. 47.
Febres causſonicæ & Synochi, qvo anni tempore potisſimum in ungaria graſſentur? D. II. 51.
Fides etiam Turcis ſervanda. 25.
Fidei non ſervatæ exemplum. ibid.
Flumina Vngariæ præcipua. 27. de ſingulis judicium. 40.
Fons Ungariæ ſaluberrimus 7. ſeq. 14. D. II. 51. ejus aqva æſtate, non autumno ſumta prodeſt. ibid 52.
Fontes in Ungaria multi ſunt. 40. eorum qvalitates. ibid.
Fructus fugaces, nimium comeſti, varios morbos inferunt. D. II. 40. in caſtra plus ſatis importantur. ibid. 54.

G.

Glandium uſus noxius. D. II. 48.
Golzſchen, culices moleſtisſimi in Ungar. ſic dicti. 49.

H.

ab Hoffkirchen (Andreas) L. B: in arce Papenſi vi pulveris pyrii parieti alliſus, ſumtis medicamentis convaluit. 26.
Humi decumbere fuliginoſæ, qvam noxium ſit? 52. 59. ſeq.

I.

Ἰδιοσυγκρασία variarum nationum Medico ſedulo reſpicienda. D. III. II. 13.
Ileon ſ. iliacæ pasſiones malum gravisſimum. D. II. 47. vid. Colica.
Imaginationis vires in gravidis. 29.
Immunditiei caſtrenſis damna. 58. ſeq.
Impietas militaris Chriſtianorum felicitatem impedit. 10. ei publico edicto obicem qvondam poſuit Maximilianus Auſtr. Archid. ibid.

Intem-

Intemperantia militaris in cibo. 33. in vino. 44. ſeq. in cereviſia. D. II. 10. ſeq in fructibus horariis. D. II. 39. 54. ejus incommoda. 44.
Invidia, inter Chriſtianos Duces regnans, qvam ſit exitioſa? 11.
Itali milites ex potu inſalubris aqvæ maximam partem intereunt. 35.

K.

à Kolonitſch (Sigfridus) Lib. Bar. de Burgſcheinitz. &c. laudatur. 6. 12. incidit in febrem ἐφημέραν & manus Medicaſtri cujusd. Clerici; ſed ab Autore feliciter reſtituitur. 6. ſeq.
à Kolonitſch (Iohannis GeorgI) pectus totum osſeum. 29.

L.

Lacus ſ. paludes Ungariæ, eorumq; proprietates. 41.
Languor pannon. vid. Morbus Ungar.
Laus eorum, qvi pro Republ. Chriſtiana cadunt. D. III. 12.
Leucophlegmatiæ hiſtoria, cauſæ & curatio. D. II. 20.
Lingvæ fricatio & deterſio in febre ardente inutilis labor eſt. 20.
Lippitudinis & inflammationis oculorum cauſæ. D. III. 28. ſeq.

M.

Matris gravidæ imaginatio quid poſſit in embryone? 29.
Maximilianus Arch. Auſtr. ſevero edicto impietatem & blaſphemias militum ex caſtris proſcripſit. 20.
Medici Caſtrenſes futuri videant, an tanto oneri ferendo pares ſint? 9. officinâ propriâ in caſtris ſint inſtructi. 15. qvomodo de victu ſuo debeant eſſe ſoliciti. D. III. 18. qvænam illis bene ſint obſervanda? D. II. 42. 47. 53. D. III. 11. 13. 15. 41. potius ad cauſas procatarcticas, qvam προηγουμένας reſpiciant D. III. 33.
Medicorum, caſtrenſium neceſſitas. 10. incommoda & mala ex defectu eorum. 9. ſeq. D. II. 7. illorum munus circa victus rationem ordinandam. D. II. 54. eorum fatum. D. III. 17.
Medicamenta à Medicis præparata, ſunt tutiſſima. 26.
Medendi methodus alia ſub tectis eſt; alia ſub dio. D. III. 29.
Medicinam facere nemo non ſuſtinet. D. II. 52.
Medicaſtri. vid. Pſeudo-medici caſtrenſes.
Mel ungaricum noxium eſt. 17.
Melancholiæ hiſtoria, cauſæ & curatio. D. II. 18. ſeqq.
Meliloti uſus in paſſionibus Iliacis. D. II. 46.
Meſpila pro diverſo uſu & noxia ſunt, & ſalubria D. II. 40. 47.
Metatorum in caſtris deſignandis perverſitas. 10.

Meyenzvveick (Petrus) Chirurgus poſt quadrimeſtres vigilias continuas in graviſſimum morbum Ungar. delabitur. D. II. 8.

Μίασμα ſtomachi affecti felicius per vomitiva, qvam purgantia educitur. D. II. 16.

Miles in Arrhabone fl. piſces venaturus ſceletonTurcicum invenit. D. III. 31.

Milites, cur aliis citius caneſcant? D. II. 9. eorum miſeria. II. 13. 27. 34. petulantia & malitia. 25. intemperantia & helluationes, quæ morborum ipſis cauſa ſunt. 33. 44. in illorum ſanitate tuenda ſæpiſſime peccatur Ep. Ded. p. 3.

Morbi in Ungaria viciſſitudine quad. ſibi invicem ſuccedunt. D. II. 51.

Morbi Ungarici definitio. 30. ejus variæ & multiplices cauſæ 28. ſeqq. 38. D II. 51. quinam de eo ſcripſerint? 31.

Morbus Ungar. militibus magis exitioſus, quam hoſtis, eſt. 3. quomodo ab imperitis Chirurgis curetur? 20. quibus remediis ipſi Ungari in curando eo utantur? qvæ tamen aliis non æque proſunt, ſed nocent potius. 31. ſeq. differt ab aliis morbis, & ſolius Ungariæ proprius eſt. ibid. languor potius, quam morbus dicendus. ibid. hodie minus periculoſus, quam olim fuit. ibid. totam fere Europam pervagatus eſt. 38. quo anni tempore frequentiſſimus ſit? D. II. 51. Ejus ſymptoma quandoq; ſunt vigiliæ perpetuæ D. II. 8.

Morbi Pannonici, ex variis cauſis orti, hiſtoriæ & curationes. 28. ſeqq. 35. ſeqq. 42. ſeq. 46. ſeqq. 51. ſeqq. D. II. 5. ſeq. 8. D. III. 30. 34.

Mulierum, viros in caſtra ſeqventium, officium. D. III. 46.

Myrothecæ Caſtrenſes, quales ſint, & eſſe debeant? 26. ſeqq. D. II. 14.

N.

Nautæ, cur ante diem caneſcant? D. II. 9.

Nephritici morbi hiſtoria, cauſæ & Curatio. D. II. 27. ſeqq.

Noduli purgantis uſus commendatur. D. II. 19.

O.

OEconomi cujuſd. pravitas. D. II. 50.

Oleum laurinum vermes ejicit. D. II. 36.

Omnes non ſunt promiſcue in caſtra trahendi. D. III. 44. ſeq.

Ophthalmiæ hiſtoriæ, cauſæ & curatio. D. III. 27. ſeqq.

P.

Paludes & ſtagna Ungariæ, eorumq; qvalitates. 41. vapores exhalant teterrimos. 57.

Pacis

Panis mucidus, & ex furno vix extractus, concoctu difficillimus: D. II. 15. militaris (Proviant-Brod) qvalis? D. II. 25.

Pediculi, culices, &c. qvomodo generentur? 50. D. III. 49. ſeq. ex juſta Dei voluntate ſunt militum; qvemadmodum illi ruſticorum ſunt carnifices. 50. fruſtra arcentur vel mundis induſiis, vel armis. ibid. ad bilem cöacervandam plurimum valent. ibid.

Pepones, cùm præcoces, tum nimis maturi ſunt inſalubres. D. II. 38. vel Diarrhœis, vel Colicis paſſionibus, pro diverſa utentium diſpoſitione, materiam præbent. ibid.

Auſtriaci & Norici ſalubriores ſunt Pannonicis. D. II. 40., 42. eorum uſus vini æſtum temperat. ibid. 40.

Pharmacopolæ Caſtrenſes ſunt ſiniſtra Medicorum manus. 15. illorum vafrities, ignorantia & pravitas. 13. 15. 16. eorum pharmaca fraudulenta. 16. ſeq. 27.

Pharmaca paratu facilia, & minoris pretii, in caſtris aliis præferuntur. D. II. 30. 37. 55.

Φιλαργυρία Ducum, & privati commodi ſtudium, qvam ſit pernitioſum? 9. 11. D. II. 21.

Phreneſis hiſtoria. D. III. 42. ſeq.

Φθειρίασις, Magis Ægyptiis olim impoſſibilis, in caſtris unicuiqꝫ facillima. 50.

Phyſici caſtrenſes. vid. Medici.

Pietas in caſtris inprimis eſt neceſſaria D. III. 9.

Pillularum uſus infructuoſus D. II. 27.

Plethora venæ ſectionem reqvirit. D. II. 27.

Potus varius variorum morborum cauſa eſt. D. II. 7.

Profluvia alvi, qvando præprimis graſſentur. D. II. 51. ſunt morbus omnibus formidabilis. ibid. 53. eorum qvot ſpecies. ibid. 51.

Prunorum uſus in laxando ventre. D. II. 46. ſeq.

Pſeudomedici Caſtrenſes varii, eorumqꝫ medicamenta. 6. ſeq. 13. 16. ſeqq. 19. ſeq. 22. ſeq. 27. D. II. 44. 52. ſeq. D. III. 22 27. illorum multitudo, & qvot occubuerint? 8. ab illis plures, qvam ab hoſte ſunt enecti. 9. rationem hujus rei aliqvando Deo reddent. ibid.

Puellæ vivæ à canibus diſcerptæ & devoratæ, hiſtoria memorabilis. D. III. 45.

Purgantia non rectè adhibita diarrhoeis interdum & lethalibus dyſenteriis anſam dederunt. D. II. 16.

Q.

Qvalitates contrariæ contrarios morbos producunt. D. II. 11.

Qvatuor in rebus Chriſtiani ipſis Turcis ſunt neqviores. 10.

R.

Raucedinis hiſtoria, cauſa & curatio. 25. D. III. 41. ſeq.

Recidivæ in Ungar. fere omnes ſunt lethales. D. III. 69, qvibus modis ſint avertendæ ? ibid & ſeqq.

Religioſus qvidam 380 ſedibus à Pſeudo - medico exhauſtus, in agone fere conſtitutus 1000 Joachimicos promittit Autori pro ſalute ſua, ſed moritur. D. III. 22. ſeq.

Rheuma. vid. Catarrhoſæ deſtillationes.

Romanorum mundicies caſtrenſis laudatur. 58.

S.

Sanitatis Publicæ neglectæ mala 20.

Scammonea, an ſit adhibenda ? 48.

Scarificationes, deficientibus balneis, thermis &c. in caſtris ſunt neceſſariæ 24.

Seceſſus ſecretiores, ad exonerandum ventrem in caſtris vix dantur. D. II. 32. hujus rei incommoda. ibid. & D. III. 38. ſeq.

Sileſia ſub Erigone ſita eſt. D. II. 31. caſeis ovillis abundat. D. II. 29.

Sileſiacæ copiæ, parum abfuit, qvin in manus hoſtium inciderint. D. II. 7.

Sileſii ſunt pudici. D. II. 31. terræ ſigillatæ nimium tribuunt. D. II. 53.

Sitis, unde oriatur ? D. II. 17.

Spartanorum frugalitas. D. II. 14.

Spaſmi hiſtoriæ, cauſæ & curationes. D. III. 31 ſeq.

Splenetici morbi hiſtoria, cauſæ & curatio. D. II. 18. ſeq.

Stercus lupinum colicis doloribus medetur. D. II. 38. de eod. admonitio neceſſaria. ibid.

Sternum Dn. Kolonitſchii continuo oſſe conſtans, 29. qvænam ejus cauſa fuerit ? qvinam effectus ? ibid.

Stomachus pars affecta in morbo pannonico. D. II. 16.

Svevorum laus ob fortitudinem. D. III. 7. ſeq. 34

Svevi, molliori victu asſveti, longe aliter à Medico ſunt tractandi, qvam Saxones. D. III. 11.

Syncopes hiſtoria, cauſæ & curatio. D. III. 41.

Tem-

T.

Tempori in caſtris inſerviendum. D. III. 6.

Terrâ ſicca nonnulli fricant membra, venenatorum animalium virus infecta. D. III. 21. 25.

Terræ ſigillatæ vim medendi morbo Ungar. fruſtra tribuunt Sileſii. D. II. 53.

Turcæ, ſagittas ſuos veneno imbuunt. 24. ſunt frugales 43. pacis ſimulatione ad Poſonium usq; excurrunt. D. II. 7. qva in re Chriſtianis præſtent? D. II. 39. nullis fere inteſtinis morbis ſunt obnoxii. ibid. tempeſtates varias pro lubitu posſunt ciere. D. III. 8. lege Alcorani prohibentur apros venari. D. III. 14. mundicie caſtrenſi admodum delectantur. D. III. 21.

U.

Venæ ſectio Plethoricis prodeſt D. II. 27. non nimis curioſè eſt inſtituenda. ibid. 28.

Venter æſtate eſt frigidisſimus. 34.

Ventriculi os primario læditur in Morbo Vngarico. 33.

Venti, äerem in Ungar. temperaturi, Carpathii montis altitudine excluduntur. 57.

Vexatio cuidam dat intellectum. D. III. 47.

Victus ratio in caſtris dura. D. II. 29. una eademq; non omnibus conducit. D. III. 41. ſeq.

Vigiliæ continuæ aliqvando ſymptoma ſunt morbi Ungarici. D. II. 8. ex cauſis externis videntur oriri. ibid. 9.

Vigilias qvadrimeſtres ſuſtinuit P. Meyenzvveick Chirurgus, qvas gravisſimus morbus Ungar. excepit. ibid.

Vina, Auſtriæ & Ungariæ qvalia? 42. Norica Ungaricis longè ſunt generoſiora. D. II. 41.

Vinum Ungaricum cibis crudis facilius concoqvendis qvandoq; prodeſt 36. turbidum & feculentum Morbi Ungarici fomes 37. 45. hominibus, nunqvam antè ſe asſvetis eſt noxium 45. Cydonite ſ. cotoneo qvando & qvomodo utendum? D. II. 45.

Vini ſublimati uſus æſtate improbatur, autumno v. & hieme commendatur. D. III. 4.

Vngaria eſt fontana. 40. nemoroſa. D. III. 14. fructib9 fugacib9, caſtaneis prunis peponib9 &c. abundat. D. II. 32. 40. 53. animalibus venenatis ſcatet. D. III. 23. ejus rei ratio affertur. ibid. multa bona & mala habet. D. II. 46. plantis gaudet salutarib9 ibid. Germanis adverſa eſt & infeſta. 55. D. III. 20. ſeq.

Vngarorum laus, & in caſtris metandis prudentia. 39.

Vomitivum, ob ſtibii averſationem qvidam haut facile admittunt D. II. 13. 15. in morbis ungar. primas inter remedia tenet. ibid. 15. μίασμα. ventriculi facilius, qvam purgantia, ejicit. ibid. 16. tenacem humorum viſciditatem qvaſi abradit. ibid.

Vomitivi præparatio optima. D. II. 15. ejus effectus, & præ aliis purgantibus commoditas. ibid. 16. ſeq. ejus commendatio. D. II. 22. 25. ejus commotiones qvomodo ſint ſopiendæ? D. II. 17.

Uvæ tam subauſteræ, qvam permaturæ nocent. D. II. 40.

F I N I S.

ERRATA TYPOGRAPHICA,

Pag. 7. *lin.* 20. *lege quat. p.* 48. *lin.* 22. *leg. cataclyſmos. p.* 31. *D.* II. *lin.* 26. *ipſa. p.* 46. *D.* II. *lin. antepen. profluvia. p.* 4. *D.* III *lin.* 21. *humi refixum. p.* 11. *lin.* 14. *& p.* 13. *lin.* 6. *D.* III. *leg.* ἰδιοσυγκρασίαν *&* ἰδιοσυγκρασίας *p.* 22. *D.* III. *lin.* 9. *Dictamni. p.* 24. *D.* III. *lin.* 4. *virulenti. p.* 30. *D.* III. *lin.* 15. *adeo. p.* 33. *D.* III. *lin.* 6. *procatarcticas. p.* 39. *D.* III. *lin.* 27. *anorexia p.* 46. *D.* III. *lin. ult. rationis.*

Hæc ſunt, quæ non potuimus non notare. Reliqua leviora, partim diſſimulata, Tuæ benevolentiæ C. L. emendanda reliquimus.

I
Cober